# ÆNIGMATA SACRA,

HOC EST,

# BREVIS S. THEOLOGIÆ SVMMA, CONTINENS PRÆCIPVA CHRISTIANÆ RELIGIONIS FVNDAMENTA ænigmaticè, per quæstiones & responsiones proposita.

*Tractatus non minus vtilis, quàm iucundus.*

PRIMVM QVIDEM ANGLICO IDIOMATE CONSCRIPTUS, labore & industriâ T. W.

*NVNC OB VTILITATEM Latinitate donatus,*

À B. H.

Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.



*FRANCOFVRTI*

SVMPTIBVS HVLSIANIS, TYPIS: Hartmanni Palthenij.

*ANNO M. D. C. XXV.*



# REVERENDISSIMIS,

CLARISSIMIS, DOCTISsimisque Viris,

D. DANIELI COLONIO, Verbi diuini in Ecclesia Leydensi Præconi fidelissimo, Collegij Gallici Regenti dignissimo, studiorum suorum Promotori indefesso.

D. CLEMENTI BOESIO,<br>
D. ISAACO BOOTIO,<br>
} Mysteriorum DEI apud Hanovienses Dispensatoribus vigilantissimis; illi in Ecclesia Gallica, huic in Belgica.

*Hasce studiorum suorum primitias, in grati & sinceri animi signum & τεκμήριον,*

D.D.D.

B. H.



# ÆNIGMA
## PRIMVM.

*Quisnam vtrâque facultate animæ, nimirum intellectu ac voluntate præditus, animâ nihilominus est destitutus, & quonam istud modo esse potest?*

SOLVTIO.

DEVS is est, de quo in Sacris literis reperimus consignatũ, quòd ipse sit intellectûs ac cognitionis Deus, qui singula operetur iuxtà consilium voluntatis suæ, & animâ tamen careat. Ipse siquidem omnia & intelligit & appetit, non creatâ facultate aliquâ, non intellectu, neque voluntate ejusmodi, qualis animabus hominum inesse soleat: quarum intellectus vt & voluntas omnia cupit successiuè, vnum scilicet post alterum, & certum cogitur tenére ac conseruare modum: Deus autem cùm sit infinitus, apud semetipsum, vno intelligendi actu cognoscit vniuersa. Resque innumerabiles atque infinitas simul & semel cupit virtute quâdam quæ in ipso est increatâ atque

*Prov.* 8. 14. *1. Sam.* 2. 3. *Eph.* 1. 11.

infinitâ, vel potius quæ ipſemet eſt, quandoquidem quidquid eſt in Deo, Deus eſt. Exod. 3. 14.

II.

*Deus incorporeus.*

*Quem verò eum eſſe autumas, cui manus quidem ſint atque pedes, corpus autem nullum?*

SOLVTIO.

Dubium mihi nõ eſt, quin hoc loco tibi ſermo ſit, de inuiſibili illo Deo, *Ioh. 4. 24.* quem ſpiritum, ſiue ſpiritualem ſubſtantiam ſcriptura appellitat. Ipſe verè incorporeus eſt, atque ejuſmodi Deus, qui manibus propriè pedibusq; caret, aliisq́ue membris quæ in ſcriptu-
1. râ ipſi eam ob cauſam attribuuntur, vt & infirmitati noſtræ eò melius conſulatur, & diuinæ ſimul poteſtatis effica-
2. citas ſignificetur, per quam virtutem exerere, omniaque ſua conſilia exequi ſolet, non aliter quàm noſmetipſi omnia noſtra opera manibus noſtris perficimus. Scriptum de illo eſt:

*Pſ. 118. 16.* *Manus Domini iſtud fecit. &*
*Dextera Domini varia exequitur.*

III.

*At quemnam illum eſſe opinaris, qui cùm ſe ipſum non moueat, omnis tamen motus cauſſa ſit?*

SOLV-

SOLVTIO.

Est Deus ille immutabilis qui *motum quemcunque, siue bonum, siue malum efficit, regit atque gubernat: Neque vlla reperiri potest motio, quæ non sit à Deo, in quo nos, vt & omnia quæcunque motum habent viuimus, sumus ac mouemur. † Ipse verò propterea quòd immutabilis est, nulli planè motui est obnoxius. Omnis enim motus nihil aliud dici potest quàm quædam transmutatio, qualis in naturam diuinam, ejusmodi mutationis expertem nequit vllo modo cadere. Quandoquidem fieri non potest vt is qui est Iehouah in se mutationis aliquid recipiat.

*Deus immutabilis.*

** hinc apud Poët. Mota cuncta mouens, amplectens, amplexa gubernans.*

*Act.* 17.28.

*† hinc Poët: Tempus ab æuo ire iubet stabilisq; manens dat cuncta moueri.*

IV.

*Agè verò quem mihi nominare poteris, qui totus cùm sit Lux: attamen nullo modo à nobis possit conspici?*

SOLVTIO.

*Deus gloriosus.*

Neminem hic, quem proferam, habeo, præter Deum illum summè gloriosum, qui voce Lucis in Sacris Pagi-
nis passim notatus reperitur, idq; cùm 1.
propter majestatis suæ Sacrosanctæ 2.
claritatem, tùm perfectam naturæ to- 1. *Ioh.* 1.5.
tius puritatem: vtpote in quâ ne mini-

ma quidem peccati aut ignorantiæ scintillula resideat. Et quoniam ipse (a) qualis reuerâ est, nullius hominis mente atque animo, vtpote (b) infirmo nimis, comprehendi potest, atq; concipi: (vt de oculis nostris corporeis taceam, qui multò minus id præstare poterũt:) ideò testantur S. Literæ quod Deus à nobis neque videri, propterea quod lucem inhabitet inaccessibilem, quo hominum nemini datum sit peruenire. Isti Deo honor sit perpetuus, & sempiterna gratiarum actio in secula. &c.

*Deus inuisibilis.*

(a) *Deus nõ potest comprehẽdi quid aut qualis sit.*

(b) *Cicero: infirmus homo sensus habet in angustum q. de[illegible]ctos.*

*N[illegible] hoc loco historiam quam Cicero lib. 1. de N.D. narrat de Simonide.* Plato: Θεὸν εὑρεῖν μὲν οὐ ῥᾴδιον: νοῆσαι δὲ ἀδύνατον. Lactant. *Deus nemini notus quàm sibi.* Ambros. *Deus nec comprehendi nec reprehendi potest.*

V. & VI.

*Cùm amor pariter atque odium, gaudium atque mœror, affectus sint in animis humanis residentes:*

*Cùmque porrò illum, quem rei alicuius pœnitet, mentem atque animum mutare oporteat: quemadmodum id perspicuè docet Græcum μετάνοιας vocabulum:*

*μετάνοια, q. transment.*

*Qui fieri potest, vt absque affectu vllo, amore quis aut odio, lætitia vel tristitia afficiatur?*

*Vtque*

*Vtque sine minima sententiæ mutatione, facti alicuius quenquam pœnitêre possit?*

SOLVTIO.

Deus, quoniam mutationem admittit nullam, nullam in se quoq;, humano more, ob factum aliquod pœnitentiam recipit.

*Deus immutabilis.*

*Æterna immoti stant rata verba Dei.*

Tùm quia naturam habet prorsus impatibilem, non potest ea rebus ejusmodi, cujusmodi sunt gaudium, & luctus, odium atque dilectio, locum dare. Nam quod in Scripturâ ipsi hæc, & similia reperiantur assignata, id non fit affectûs alicujus ratione qui Deo inesse debeat: † sed respectu operum ipsius, quæ cum affectibus illius generis videntur conuenire. Adeò vt pœna, quam justo nonnunquam judicio hominibus infligit, excãdescentia, benedictio, quâ ipsis sæpè benedicit, amor atque dilectio, & denique Creaturæ, aut operis alicuius destructio, quâ illud planè, ac plenè euertitur; pœnitentia ipsius nuncupari possit.

*Deus impatibilis.*

*† August.*

*Deus opera mutat nec mutat consilium.*

*Gen. 6. 6.*

VII.

*Quâ quis ratione & audire omnia, & intueri potest, cùm necessarijs tamen careat videndi atque audiendi organis?*

*Deus omniscius.*

SOLVTIO.

* Deus oĩa cernit & audit.

August. Deo pertuũ est omne solidum, & apertũ oẽ secretũ: huic obscura clarent: huic silentium confitetur & sine voce mẽs loquitur.

Hunc Nil latet: at geritur quid quid in orbe patet.

Deus, qui fecit oculum, nunquid videbit ipse? & * nunquid audiet qui plantauit aurem? Num quid occultum adeò atque abditum inuenies, quod is, qui præter aurem atque oculum nihil est, ignorare possit? Ac quoniam Deus non est substantia corporea, nullas etiam corporeas habet, siue aures, siue oculos, quæ membra nobis ad illud inseruiũt, quod illis tanquam intellectûs vtamur instrumentis. Illa autem idcircò adscribuntur Deo, vt nobis eò melius, infinita ipsius omnium rerum scientia, hâc ratione significetur, qui humanis rebus ad promptiorem ac paratiorem rerum quæ ad Deum spectãt cognitionem ducimur.

VIII.

*Quem arbitraris esse eum, cui licet qualitates omnes atque singulæ, verè ac perfectè adscribi possint: ipse nihilò minus substantia sit, absque vlla qualitate?*

SOLVTIO.

Cùm nemo hominum vspiam reperiatur, cui omnes bonæ qualitates adhæreant: atq; idcircò blasphemum sit, istud de homine cogitare, & vel vnam talium qualitatum, ei perfectè attribuere.

Luc. 18. 19.

buere: facilè judicari poteſt, de ſolo Deo iſta pronunciari: vtpote in quo, * miſericordia, veritas, juſtitia, ac ſapientia, vt & bonæ qualitates reliquæ iuhabitent vniuerſæ. Sed quatenus Deus eſſentia ſingularis eſt, & à qualitatibus iſtiusmodi diſtincta ac diuiſa, qui abſque compoſitione vllâ, ſubiecti & accidentis, ſubſtantiæ & qualitatis ſubſiſtat: Eatenus etiam dicendum eſt, nullam Deo qualitatem, nullumque accidens ineſſe. Propterea ipſemet eſt miſericordia, veritas, & bonitas, ſapientia, ac patientia, quæ omnia, in Deo juncta, ſiue ſimul ſumpta, diuinam illam ſubſtantiam, omnium certè perfectiſſimam, & magnum illum Iehouah, conſtituunt, quemadmodũ iſtud cum illo pulchrè conuenit, quod extat *Exod.* 24. *v.* 6. & 7.

* *Quatenus infinita exiſtit perfectio.*

Quod autem pagellæ Sacræ, talia Deo attributa eo modo aſſignant, ac ſi ab eſſentia illius, vel illo ipſo forent diuiſa: illud propterea fit, vt infirmitati intellectus noſtri hâc ratione occurratur, iſque ad concipiendum, ac conſiderandum Deum, eò magis idoneus efficiatur.

IX.

*Quid verò mihi reſponſi daturus es, ſi, quis*

*ille tibi videatur; te interrogem, qui & nusquam sit, & vbique sit, tàm in mundo, quàm extrà mundum, nec in mundo nec extrà mundum?*

SOLVTIO.

*Deus incomprehẽsibilis.* Quæstionem intellexi, & quam ad illam tibi daturus sum responsionem promptu habeo. Quod nimirum incomprehensibilis ille Deus, circumscriptiuè nusquam esse dicatur proptereà quod corporibus humanis assimilari nequeat, quæ cum suas habeant, secundùm longitudinem, ac latitudinem dimensiones, facilè in vno aliquo loco possunt circumscribi. Sed quatenus cœlum atq; terram essentiâ suâ, siue præsentiâ adimplet vbique gentium, in, & extrà mundum existit. ob Infinitam suam (1) essentiam (2) potentiam (3) præsentiã, non * tamen est vel in mundo vel extrà mundum (tanquam in Loco) ob immensurabilitatem & immensitatem suam.

** Enterpræsenter Deus est & vbiq; potenter.*

Huc ptinet 1. *Empedoclæa Dei descriptio quæ sic se habet: Deus sphæra est cujus centrum vbique: operipheria id est: lineæ ambitus, nusquam est.* 2. *Christiani responsio ad Philosophum, interrogantem vbi esset Deus, quæ hæc fuit:*

Dic tu prius ô Philosophe vbi non sit?

X. *Cùm*

## X.

*Cùm Angelorum atque hominum bonitatem inficias ire nemo possit, quâ tandem ratione, aut quâ vtêris defensione, vt dictum illud à Christo pronunciatum, immotum maneat, atque inconcussum?* *Deus solus bonus.*

Nemo est bonus nisi vnus Deus. *Luc.* 18. 19.

SOLVTIO.

Longâ hæc res defensione non eget, si distinctionem inter diuinam sc. Angelicam atque humanam bonitatem, adhibeamus. Alia siquidem diuina bonitas est, alia Angelica atque humana, quandoquidem 1. Deus essentialiter est bonus, atque ipsa adeò bonitas, 2. idque sine vllâ bonitatis participatione. 3. tùm etiam modo quodam perfectissimo, 4. atque omni omninò tempore, Deus bonitatem suam retinet, & ab ipso denique, 5. ceu perenni quodã omnis boni fonte, omne quod aliis inest bonum deriuatur. Alia verò Angelica est, atq; humana bonitas, vtpote 1. quæ à Deo profluat: 2. quæ data ipsis sit certâ cum mensurâ: 3. & quæ postremo queat mutari. Dubium enim non est, quin mali quid ab angelis etiam (nam de hominum infirmitate quis ambigit?) perpetrari posset,

nisi per Dei misericordiam gratiosè conseruarentur.

XI.

*Quî potest omnipotentis nomen iure Deo tribui, cùm plurima nihilominus reperiantur, quæ ab ipso fieri nequeant? Nam, exempli gratiâ, nec mentiri nouit; nec peccare; nec denique negare semetipsum.*

SOLVTIO.

*Deus omnipotens.* 1. Deus meritò in S. literis omnipotens appellatur, id verò propterea non fit, quasi ipse posset rem vnamquamq; facere: quandoquidem ejus generis multæ sunt, quas si perpetrare posset, neque ipsius Deitas consisteret neque etiam omnipotentia. Res enim nonnullæ infirmitatem arguentes inueniuntur: quemadmodum si Deus passioni alicui subiectus esse cogeretur, eo non omnipotentia designaretur, sed summa ipsius impotentia, vtpote qui debilis esset nimis, atque infirmus ad semetipsum à passione ejusmodi præseruandum.

*Anshelmus in Prosolo. 7. cap. inquit: Hæc posse, q̃ repugnant, non esse potẽtiam, sed impotentiam.*

2. Si Deo possibile foret, vllum aliquod peccatum committere, quale, exempli gratiâ, mendacium est, vel suiipsius denegatio, non posset omnipotens ille permanére Deus neq; vllo

aliquo

aliquo modo Deus appellari: propter- eà quòd pugnent ista cū naturâ diuinâ. *Huc spectat illud Augustini 15. de Ciuit. cap. 15. Magna, inquit, potentia est non posse mentiri.*

Res contradictionis, siue contradi- 3.
ctoriæ simul consistere nequeunt, quales exempli causâ sunt, aliquid esse, & non esse: corpus aliquod posse & non posse circumscribi; locum tenere & collocare. Id genus contradictoria, de vnâ aliquâ re simul pronunciata, veritati consentanea nequaquam esse possunt.

Sed quod omnipotens appelletur
Deus, id fit respectu duplici. Primùm 1.
quidem, quoniam quæcunque vult, potest etiam perficere, præter vllum aliquod rei vllius obstaculum. Quod si verò voluntas ipsius non patiatur, vt res aliqua contingat, tum sufficienti potentia instructus est, ad illam impediendam, & in his omnibus voluntati
ejus quis resistet? *Rom. 9. ℣ 19.*

Ipse solus omnia illa pro libitu DISPONIT, quæ PROPONIT creatura, atque idcircò satis potens est, ad omnium creaturarum propositum, aliquo saltem modo sibi contrarium euertendum. quandoquidem aduer-

ſus Dominum conſilium non eſt. Prov. 21. ℣ 30.

2. Deinde etiam omnipotens dicitur Deus, propterea quod immenſa ipſius potentia, latius quàm voluntas ſe extendat, & quod ipſi plura per potentiam agere liceat, quàm libeat per voluntatem.

Nam nunquid ex lapidibus filios Abrahamo potuiſſet ſuſcitare? quod nō fecit tamen. Nunquid & Chriſto mittere potuiſſet innumeras Angelorum legiones, vt ipſum à vi Iudæorum defenderent? Sed nec iſtud factum eſſe legitur. Denique, ſi abſolutam ipſius potentiam conſideremus mundos plures quàm creauit, creare potuiſſet. Verum ſecundùm potentiam, voluntate ipſius limitatam, eum præter illa nihil poſſe comperiemus, quæ verbo ſuo nobis reuelauit, ex quibus ne jota quidem, aut vllum omninò punctum peribit.

*Matt. 5. ℣. 22. Luc. 6. ℣. 17.*

## XII.

*Quâ ratione res vlla vſque adeò bona eſt, vt nullo planè reſpectu mala eſſe poſſit: cùm è contrario nihil ſit tàm malum, quod non aliquo modo bonum vocari mereatur?*

SOLV-

SOLVTIO.

Solus Deus eo modo, absolutè videlicet atque infinitè bonus esse deprehenditur. *Deus absolutè bonus.*

Bonus autem est, non tantùm cùm bona nobis pollicetur, ijsdemque etiam beat, promissioni suæ satisfaciens, animum nimirum nostros immutando, confortandoque: Verùm etiam, quatenus obduratas reddit mentes peccatorum, quatenus eos Satanæ tradit, ac prauis ipsorum affectibus, quatenus denique abominatur atque condemnat, eatenus malus dici non potest, eò quod ista omnia, tanquam judex mundo præpositus, & qui injustè agere non possit, exequatur. *Gen. 18. Psalm. 5. Iames. 1.* Reliqua verò omnia, etiam illa, quæ mali maximi nomen obtinent, (vt, exempli causâ, peccatum & Satanas,) ea inquam omnia necesse est, aliquam in se continére boni considerationem. Nam & peccatum & Satanas eo respectu boni quid, faciunt, quo 1. vel justitiæ diuinæ executioni mandandæ, vel humiliandis, aut explorandis pijs, coguntur inseruire. 2. *Iobi. 6.*

XIII.

*In mentem mihi venit dixisse te anteà, omnia quæ à nobis & fiunt, & cogitantur, quan-*

*quantumuis videantur occulta atque tecta, Deo nihilominus cognita atque perspecta esse. Nunc igitur ad hoc respondeas, quid illud esse autumes, quod cum non sit Deus, omnes tamen in animis nostris latebras, omnesq; recessus perscrutatur, nec verba tantummodo à nobis prolata, sed secretas quoque cognoscit cogitationes?*

SOLVTIO.

*Conscientia peccatorum codex.*

*Conscientia mille testes.*

Conscientiam nimirum innuis, vim illam in hominum vnoquoque admirabilem, * quæ, tanquam vigil, aut

(* *Qua motus animi sensusq; latentes*
*Perspicit, & taciti pectoris ima videt.*)

speculator aliquis, accuratam actionum nostrarum rationem habet, quin etiam secretissimas quasque cogitationes expiscatur, ad hominem coràm Dei judicio, siue † accusandum, siue excusandum. Hæc verò cùm creatura sit, non potest illa omnia cognoscere, quæ Deus conscientiæ creator videt atque cognoscit. Quem

*Rom. 2.*

*† vnâ conscientiâ acusante inexcusabilis homo redditur.*

*Nil latet, at geritur quidquid in orbe patet.*

Huic non tuę tantùm notę sunt, verùm etiam,

Greg. *Quid prodest si omnes laudent & conscientia accuset: at quid oberit, si omnes derogent, & conscientia sola defendat?*

etiam, (id quod de conscientiâ affirmare nequit,) omnium omninò hominum tacitæ cogitationes. Propterea cogitationibus & meditationibus attendendum est, & orandum vt sit mens sana in corpore sano. quandoquidem Satanas ex vultu & verbis, gestibus, atque actionibus nostris multas earũ colligere potest. Idcircò cautè atq; circumspectè vnicuique hominum est ambulandum Ps. 138. 23.

*---Hic murus aheneus esto*
*Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.* *Horat.*

XIV.

*Quomodo contraria ista conuenire possunt, vt quis & liberè omnia agat, & nihilominus quæcunque facit, faciat adductus necessitate?*

SOLVTIO.

Deus omninò nihil agit, nisi necessitate quâdam; non illâ quidem absolutâ & simplici, (ac si in perficiendâ re aliquâ nullam aliam viam ingredi potuisset;) sed necessitate istiusmodi, quę sibi aliud quidpiam, postulet præsupponi. Quod autem hoc loco præsupponi debet, hoc ęst, Deum omninò nihil agere, nisi id prius apud se decreuerit, quemadmodum istud verum esse, *Deus liber.*

Sacrarum literarum testantur monumenta. Vnde cuiuis facilè apparet, quod quæcunq; à Deo fiunt, fiant quodammodo per necessitatem, quandoquidem illa quæ semel ab ipso decreta, aut constituta sunt, † mutare non possit. Neque tamen dicendus est Deus, siue rei, quæ fiat, siue modo, quo fiat, astrictus aut alligatus esse, cùm, si voluisset, liberum ipsi fuisset, vel aliud q̄d decernere, vel alium etiam modum, quo illud eueniret. Nam quidquid voluntas ipsius fert id tùm in cœlo tum in terris exequitur.

† *Æterna immoti stāt rata verba Dei.* August.

*Deus nō mutat consiliū.* *Ps.* 33. *Psalm.*

XV.

*Quomodo fidelis & verax esse potest, qui tum promissa atque pacta, tùm minas etiam frequenter mutat?*

SOLVTIO.

*Deus fidelis & verax.*

Diuinæ tàm promissiones quàm minæ nunquam non habent adiunctam conditionem, siue expressam, siue subintellectam, quæ conditionis adiectio declarat, nullam planè Deo adscribi posse infidelitatem. Quod si enim malum aliquod impiis non immittat, licet id ipsis seriò sit minatus, illud propterea facit, quod eos, qui paulò antè peccatis ipsum offenderant, seriam

sciat

ſciat reſipiſcentiam egiſſe. Sub quâ conditione, Deus de pœna vel malo ab ipſis auertendo jam antè conſtituerat.

Eâdem quoque ratione, eodemque modo, cùm bonis promiſſis ſuos non impertit, non aliam illud ſit ob cauſam, quam quòd crucem ijs & afflictionem magis videat profuturam: ad delicta videlicet eorum corrigenda ac majorem, & meliorem ergà ſe obedientiam in animis eorum excitandam, ſub quibus conditionibus bona temporalia ſemper ſolet pollicêri.

XVI.

*Quo pacto juſtiſſimus meretur appellari, qui innocentem ideò condemnat, vt peccatores juſtificare poſſit, cùm Deus in Scripturâ Sacrâ, tùm abſolutionem ſontis, tùm inſontis condemnationem dicatur abominari?*

*Deus juſtus.*

SOLVTIO.

Deus iſtud quidem fecit, ſed ita tamen, vt ipſius interim iuſtitiæ nihil planè decederet. Enim verò cùm tanta eſſet Chriſti innocentia, vt peccatum haberet nullum, neque origi-

*Æternus Chriſti genitor non parcere nato Vnigena voluit, quò nos nil tale merentes Aſſereret, natique daret per funera vitam.*

originale, neque actuale (quandoquidem, siue natura ipsius consideretur, secundùm eam legatur à Spiritu Sancto conceptus; siue spectentur actiones, peccatum ignorasse deprehendatur,) eum tamen Deus, vt nos in peccatis mortuos justos posset pronunciare, nobisq; ad mortem condemnauit; atque id justè quidem. Christus siquidem cùm personam sustinéret nostram, * reus pro nobis factus est, omnia peccata nostra, quæ ipsi tùm imputabantur, FERRET atque AVFERRET, & nos per fidem in ejus sanguinẽ desinimus esse peccatores, quãdoquidem ipsius justitia tecti sumus. Sed sontem justificare, & insontem condemnare ex προσωποληψίᾳ omninò abominabile est.

2. Cor 5.21.

*Qui justus, luit injusti pro crimine pœnas. Expiat & lapsum victima lâbe carens.*

XVII.

*Quâ ratione Deus modo perfectissimo, justissimus esse potest, cùm omnia malis benè & ex animo, bonis verò malè cedant?*

SOLVTIO.

Quandiu versamur in hoc mortali corpore, crebrò istud vsuuenit, vt * aduerso fortunæ flatu, mali autem prospero vtantur, Deo nihilominus justo remanente. Hoc enim modo illorum

** piorum βιός, βία.*

lorum quidem exercet patientiam, ergà hos verò miseros misericos Deus bonitatem suam, & μακροθυμίαν ostendit. ' Deinde etiam nouit Deus * breuissimam esse istam, quæ fœlix videbatur, impiorum conditionem, vtpote quæ post hanc statim vitam finem suũ sortiatur. In illo enim judicio merces secundùm opera vnicuiq; tribuetur, atque illi quidem qui malè vixerunt, à Deo justè punientur, qui autem benè gaudio ac lætitiâ gratiosè afficientur.

*Lactant. *Hæc vita tẽporalis quia breuis est, idcircò & bona e us, & mala breuia sint necesse est.*

Esa. 10. ℣ 11. 2. *Thes.* 6. ℣. 7.

## XVIII.

*Quare diuinam misericordiam laudibus ad cœlum scriptura extollit, cùm ei peccatorum illorum afflictio, pro quibus plenè satisfactum est, contraria videatur:*

Psal. 36. ℣ 5. *Vbi misericordia Dei cœlũ attingere dicitur.*

### SOLVTIO.

Affligit quidem electos Deus, quanquam cum ijs reconciliatus sit, per plenariam Christi, pro omnibus ipsorum peccatis, satisfactionem. Affligit autem, * non vt justitiam suam, in peccatis puniendis ostẽdat, † sed vt in humilian-

*Deus misericors.*

* August. *Quod patimur medicina est, non pœna.* † Idem Aug. *Cum blanditur Pater est: Cum cadit pater est.* item, *Intellige Deum esse medicum, tribulationem verò medicinam*: item: *tribularis? agnosce Patrem te emendare.*

Cor. 11,32. miliandis illis, & per afflictionem corrigendis, immensam suam misericordiam adaugeat.

Ouid. *Sæpè tulit fessis succus amarus opem.*

*Deus dum pungit, vngit.*

*Huc pertinet illud Origenis. super Exodum libro 6. cap. 6.*

*Nihil mali datur à bono Deo; licet triste sit, licet doloris plenum, respectu tamen medendi, & contemplatione sanitatis infertur.*

*Et* Augustini *sentent.* 231.

*Quando Deus permittit aut facit, vt aliquâ tribulatione vexemur, misericors est.*

Basil.

φάρμακον ἀγαθὸν εἰς σωτηρίαν ἡ θλῖψις.

XIX.

*Cùm mentem Pharaonis Deus indurauerit, quæritur, an ipsi iustè pœna sit inflicta?*

SOLVTIO.

Quoniam rebellis ille Pharao animum suum primùm obdurauerat, mandato nimirum DEI resistendo, & in contumaciâ, atque inobedientiâ pertinaciter persistendo: propterea ipsum Deus, ceu justus judex, justo suo judicio vlterius indurauit, atque hâc ratione peccatum peccato puniuit. Exod. 7.14.

XX.

Quis

*Quis ille tibi videtur, qui erat, & adhuc est, quique non tantum est, & erat, sed est venturus etiam?*

SOLVTIO.

Iehouam scilicet intelligis, Deum illum sempiternum, qui neque habuit dierum exordium, nec finem est habiturus. Quocircà fuit ab omni æternitate, quin vel omni etiam æternitate prior; nec fuit tantum, sed etiamnum est. Cùmque non solùm ab æterno fuerit, sed etiam in æternũ permansurus sit: propterea ipsum, qui & erat, & adhuc est, illum inquam ipsum venturum expectamus. *Apoc. 1. 8.*

*Deus æternus.*

*Deus nõ tantùm ἀιώνιος sed etiã προαιώνιος.*

XXI.

*Cùm Deus verè appelletur Spiritus qui fieri potest, vt Angeli sint spiritus quidem, Dij autem non sint.*

SOLVTIO.

Angeli vt & animæ humanæ, Spiritus sunt finiti, & ab alio conditi: Deus autem Spiritus est infinitus atque increatus.

*Deus spiritus.*

XXII.

*Quomodo mali motûs peccata dici possunt, cùm omnis tamen motus à Deo, qui à peccatis longè est remotus, proficiscatur? In ipso siquidem mouemur. &c.*

*Act. 17.*

SOLV-

SOLVTIO.

*Deus peccati nō est autor.*

Omnis quidem motus, quatenus motus, à Deo proficiſcitur, ſed peccatum, ſiue malum, quod ſolet illi adhærére motui, id à Deo nequaquam, verùm à corruptâ hominis naturâ promânat. Non aliter atque equus claudicans, flagello carrucarii cæſus, quantum poteſt mouet, & promouet, ne denuò percutiatur. Vitium autem tarditatis ſiue claudicatio, defectus quidam eſt pedibus equi aſſignandus.

XXIII.

*Quî fieri poteſt, vt cúm Deus ſit perfectio infinita, aliquid tamen aliundè recipiat?*

SOLVTIO.

*Deus in ſe perfectus.*

Deus ſuorum quidem tùm preces, tùm laudes PERCIPIT, aliaq; pietatis ACCIPIT officia, quib⁹ ipſum colere ac venerari ſolent: Interim diuinæ perfectioni nihil planè additur, neque ejuſmodi rebus, quantumuis bonis, Deus ſanctior redditur. Quâ in re cum Oceano pulchrè comparatur, quem neque guttis in ipſum decidentibus, nec fluminum innumerorum recurſu adimpleri contingit.

XXIV.

*Cur Deus ignis conſumens appellatur, cùm tanta*

*tanta sit ipsius misericordia, vt in millesimam quoque generationem se extendat?* *Exod. 34.7.*

SOLVTIO.

Deus ergà illos quidem, qui delicta sua humiliter confitentur, serióq; detestantur, se clementissimum, instar patris, præbet: At verò illis peccatoribus, qui obstinatâ mente atque animo, nullam planè resipiscentiam admittūt, deuorans ignis esse dicitur. Propterea quod ab irato Deo impii subitò consumantur, non secus quàm lignum aut stipulæ, flammæ alicui admotæ, continuò comburuntur.

*Deus misericors. & iustus.*

XXV.

*Quomodo vnus esse potest Trinus, & Trinus vicissim vnus?*

SOLVTIO.

Cùm sacra testis sit scriptura, esse Deitatis vnitatem, & personarum Trinitatem: propterea dici potest Deus, & vnus esse quà substantiam, & Trinus quà personas. Nam personæ quidem siue existentiæ, licet tres sint numero, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Veruntamen vna tantùm diuina est essentia, quæ harum vnicuique æqualiter communicatur. ô dignum admiratio-

*Deus vnus, in ordine Trino.*

*Matt. 28.19 Iohan. 1.*

ratione myſterium! de quo hi extant verſus:

*Tres vnum, nec tres tamen vnus, ſed in tribus vnum.*

*Poſterius nihil eſt hic ſimul atq; prius.*

XXVI.

*Quomodo tres eſſe poſſunt æterni & omnipotentes, vt tres tamen non ſint omnipotentes, neque tres æterni?*

SOLVTIO.

Vnaquæque ex tribus Sacroſ. Trinitatis perſonis, omnipotens eſt, & ſempiterna. Eo verò reſpectu, quo vna tantùm eſt diuinitas, plures vno non reperiuntur æterni vel omnipotentes. Quod quidem profundum eſt, atq; ejuſmodi myſterium, quod potius humiliter adorandum, quam ſtudioſius à nobis inquirendum eſt, illud Nazianzeni non ignorantibus, Quod natura diuina, neque verbis poſſit explicari, neque animo atque intellectu, à nobis comprehendi.

*mirari non rimári.*

XXVII.

*Quomodo pater aliquis filiũ procreat, vt non ſit ante filium quem ipſe procreauit? Quomodo prius exiſtit genitor, filio à ſe genito, vt filius tamen patre poſterius non exiſtat?*

SOLV-

SOLVTIO.

Quatenus DEVS Pater filium suũ procreauit, per generationem istiusmodi, quæ omnem excedit humanum captum: Eatenus dicendus est filio naturæ ordine prius extitisse. Quoniam verò filius legitur à patre ab ęterno genitus, propterea ipse, considerato temporis ordine, patre posterior non fuit. *Christus Dei filius.*

## XXVIII.

*Quomodo Christus Deitatem suam ab alio quasi mutuari, & nihilominus αὐτόθεος esse potest?*

SOLVTIO.

Christi Deitas à Patre dependet, personæ, seu filiationis respectu. Hæc enim, (cùm Christus αὐτόυιος esse nequeat) nonnisi relatione quâdam ad patrem consideratur. Respectu autem diuinæ essentiæ, quæ omnibus æquè Trinitatis personis vna & eadem attribuitur, DEVS est in, & à se ipso, Deus inquam, benedictus in secula. *Christus αὐτόθεος.*

## XXIX.

*An Christus Deo patri suo Deus est æqualis, cùm filio tamen majorem esse patrem, ipsius Christi testimonio confirmari possit?*

SOLVTIO.

*Christus patricoæqualis Phil. 2.6.* Quatenus Christus vt filius consideratur, eatenus rapinam non duxit, se Deo coæqualem esse, atque eatenus etiam æquè potens est, atque ipse Pa-
*Ioh. 10.30.* ter: quandoquidem se cum patre vnū
*Christus patri minor.* esse alicubi testatur. Sed incarnationis, ac mediationis ratione, minor erat pa-
*Esa. 5. 11.* tre, vtpote quem eo sensu, justum DEI seruum scriptura appellet, quemq; perhibeat esse missum, ad voluntatem pa-
*Ioh. 20.21.* tris exequendam.

XXX.

*Gal. 3.* *Cùm Christus dicatur esse filius Dei vnigenitus, quæ causa est, quòd fideles filij Dei appellentur.*

SOLVTIO.

*Sol⁹ Christ⁹ est filius Dei τῇ φύσει.* Quoniam solus Christus est naturalis DEI patris filius, propterea etiam eo respectu vnigenitus esse dicitur.
*Fideles sunt filij Dei τῇ θέσει ἢ per υἱοθεσίαν. Ioh. 1. 14. Gal. 4. 5. Eph. 2. 3.* Fideles autem quod attinet, illi non sunt à naturâ filii DEI: eóque solâ gratuitâ adoptione filii DEI dicuntur.

XXXI.

*Quid illud est, quod cùm ab alio mittatur, nihilò tamen inferius sit illo à quo mittitur?*

SOLVTIO.

Chri-

Christum à patre quidem, Spiritum Sanctum autem ab vtroque, tùm patre, tùm filio, missum esse legimus. Quæ tres personæ, Pater, filius, & Spiritus sanctus, essentiam illam diuinam constituunt, suntque vsque adeò inter se æquales, seu mittant, seu mittantur, vt earum nulla major, nulla minor sit. Etenim Mittere non semper prærogatiuam notat, aut primatum siue excellentiam, quandoquidem etiam vsu uenit, vt ab inferioribus mittantur superiores.

*Tres personæ S. Trinitatis æquales.*

*Act. 11.30.*

XXXII.

*Quid illud tibi videtur, quod cum alio vnum & idem, & ab eo nihilominus diuersum sit?*

SOLVTIO.

I. Pater quà substantiam idem est cū filio, sed distincta tamē ab eodem persona. Ita Spiritus Sanctus alia est, quàm filius, subsistentia, cum eo autem idem in essentiâ: Breuiter, in Sacrosanctâ Trinitate, personæ quidem sunt, non autem res diuersæ. Id quod sublime est, & secretum adeò mysterium, vt nulla acies tanta sit ingenii, quæ penetrare in istud, atque intrare possit.

*Matth 13. Ioh. 5.*

II. Eodem modo fideles vnum sunt

1. Ioh. 1. cum Christo, atq; vnum etiam inter se esse debent. Neq; obstat huic fidelium conjunctioni, ea quæ nobis videtur esse personatum & locorum disjunctio.

Neque enim Christianus aliquis ab alio est diuersus: sed omnes, quatenus corpus Christi mysticum constituunt, habent commune quoddam vinculũ, & quasi cognatione quâdam, primùm quidem cum Christo, deinde etiam inter se cohærent.

XXXII.

Matth. 28. Voces illæ patris & Spiritus duplici in S. literis accipiuntur sensu. Vel enim personaliter, personam quandam certam, & ab aliis distinctam significant: vel essentialiter sumptæ, totam diuinitatem denotant. Atq; hoc etiam modo, Deo quidem Patri, Spiritûs, Christo autem, Patris nomen attribuitur.

Ioh. 4. 24. Esa. 9. 5.

XXXIII.

*Quomodo res aliqua ex nihilo producitur.*

SOLVTIO.

Est istud quidem ἀδύνατον creatæ & finitæ hominum potentiæ, apud quos semper locũ obtinet vetus illud Philosophorum, quod fiat EX NIHILO NIHIL. Deus autem (cujus solius propriũ est ejusmodi quid producere quod nõ erat aliquando) ille, inquam, aliâ liberâ nimirum atque infinitâ instructus est

poten-

potentiâ. Per hanc enim potentiam ex nihilo omnia *ineffabiliter construxit*: materiam *mirabiliter produxit* : & illi deniq; formas varias *subtiliter induxit*.

Genes. 1: 1. Heb. 11. 12 3.

XXXIV.

*Quodnam amœnissimum illud palatium, & capacissimum esse autumas, magnificè quondam ex nullo materiali principio, absque consueto instrumentorum vsu productum. Idq; hâc ratione, vt ipse palatij dominus id ignoraret?*

SOLVTIO.

Mundum nimirum palatium appellas, qui est (vt ipsa vox testatur,) ornatus quidam mirabilis.

*Græcos, à pulchritudine & ornatu dicitur.*

Hunc autem Deus ex nullâ præexistente materiâ nullis adhibitis instrumẽtis; solâ verbi sui potẽtiâ, efformauit. † Ipse siquidem dixit & facta sunt, mãdauit ipse & constituta sunt. inquit Dauid. Absoluto aũt toti[9] mũdi opere, nondum creatus erat is, qui esset illius Dominus & incola futurus; Adeò benè scil: homini prospexit Deus, ipsi cũ nondum existeret, domum Augustam, *extruendo*, eamq; rebus illis *instruendo* quæ delectationi ipsius inseruirent.

Mundus n. vt & ...

†

Epicu[rus] qui mu[ndum] ab æterno fuisse; nunquam autẽ à Deo cõditũ, opus ad-

B 4 XXXV.

*argumento ab instrumentis tanquã caussis adiuuantibus, desumpto conatur comprobare.* 1. de Nat.

## XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII.

Quî fieri potest:

1. *Vt sit ibi claritas?* *Nullus vbi mundo præbet sua lumina Titan. Nec noua crescendo reparat sua cornua Luna. Breuiter, vbi nulla sunt* φαινόμενα; *non lux, nec lumen.*
2. *Vt sint ibi tenebræ: vbi nulla nox?*
3. *Vt illic aqua; vbi nullum mare, flumen, aut pluuia?*
4. *Vt arbores ibi atque herbæ; vbi nulla plantatio?*

### Solvtio horvm qvatuor Ænigmatum.

Inter illa,

*Tradidit arcano quæcunque volumine Moses,* *vt inquit* Iuuenalis,

Inter illa, inquam, grauissimo suo cõfirmat testimonio, ista omnia (cùm sint contra cursum naturæ ordinariũ,) in solo creationis opere reuerà euenisse. Vt eo modo instruerentur omnes, concessis quidem vti mediis, sed ita tamen, vt nequid nimis ijsdem tribuant,

*Genes.* 1.

buant, sed DEO soli euentum, nõ mediis adscribant.

Tùm etiam vt omnibus omninó destituti mediis, à solo DEO fiduciâ dependeant, cui æquè facilis est immediata, atque mediata operatio.

XXXIX.

*Cur nulla sit Angelorum mentio, inter vniuersa creationis opera; cùm principales tamen creaturæ* DEI *mereantur appellari?*

SOLVTIO.

Cùm non ignoraret Moses, quã contractos homo sensus habéret, in angustumq; deductos, quibus facilius sensibilia, quàm spiritualia conciperet: illis etiam infirmis sensibus seipsum accommodauit. Vnde nonnisi sensibilium operum expressam mentionem fecit, quod ea simplicibus essent quoddam quasi speculum, ex quo Creatoris gloriam perspicere, faciliusque retinére possent. Interim tamen invisibilis, ac spiritualis Creaturæ mentionem, locis quibusdam duxit includendam. Enimuerò cum inquit, DEVM cœlum ac terram efformasse: cœlos item, *Genes.* 1. atque exercitum illorum condidisse, *Gen.* 2. 1 Angelos dubio procul comprehendit,

tanquam cœlestis exercitus partem principalem.

XL.

*Quæ tandem reddi potest ratio, cur impio, corruptaq́ natura homini, nomen Dei tribuatur: cùm is qui fuerat naturæ diuinæ particeps, tanto dignus nomine non sit iudicatus?*

Ps. 8. 2. 6.

SOLVTIO.

Adam quidem fuerat ad similitudinem Dei, in perfectâ justitiâ, & sanctitate conditus, adeò vt † diuinæ etiam naturæ consors esset: Veruntamen DEVS dici non poterat, propterea quod sit vnus tantùm substantialiter DEVS. Prauarum autem actionum, & corruptæ naturæ homo, meritò Deus appellari potest, si sit Magistratus: propterea quod officij ratione, ac datæ ipsi potentiæ, DEVM, in exequendis illius judiciis, quodammodò repræsentet.

† *Petrus enim 2. Pet. 1. 4. Diuinas proprietates vocat diuinam naturam.*

XLI.

*Quis hominum vnquam parentes nullos, nec patrem habuit, neque matrem; & mundum vir ingressus est, adeòque vir fuit, antè & absque infantiâ?*

SOLV-

SOLVTIO.

Adam videlicet is est, qui nullâ generatione naturali natus: sed creatione supernaturali vir statim est productus, vir, inquam, quà membrorum robur, proportionis decentiam, staturæ denique conuenientiam, modis perfectus omnibus atque absolutus.

XLII.

*An aliqua in hoc terrarum orbe, Regûm esse potest ac mendicorum æqualitas?*

SOLVTIO.

Imò verò. Etenim cùm vnũ Deum colant, vnum omnes venerentur, meritò quà professionem æquales dici possunt. Neque verò professionis tantum, sed creationis etiam ratione, magna est inter illos æqualitas: quandoquidem omnes sunt ab vno Deo, vno eodemque modo, pariter efformati. His igitur duobus modis, eadem gestat pars vtraque insignia: Verum conditionis ac statûs, variorumque donorum respectu, magnum inter illos discrimen deprehenditur. Eph. 4.

Insuper.

--- *Mors sceptra Ligonibus æqua.*

XLIII. Qui

XLIII.

*Quî poteſt in vno homine vniuerſum genus humanum contineri?*

SOLVTIO.

I. Adamus vnum cùm eſſet indiuiduũ; vna, (inquam,) ac ſingularis perſona: Omnium tamen pater, potentialiter ſcilicet, atque originaliter, ordinatione diuinâ conſtitutus eſt. Quemadmodum enim tribus Leuitica in Abra-
Heb.7.9.10. hami: Eodem modo erant in Adami lumbis omnes ipſius poſteri, in mundum hunc naſcendi.

II. Adam, quatenus caput erat & radix, omnium ſuorum liberorum: (licet vnum eſſet tantummodò indiuiduum:) Eatenus etiam perſonas ſuſtinebat omnium poſterorum, qui, (prout euentus declararet,) aut firmiter cum ipſo perſtituri, aut turpiter eſſent collapſuri.

XLIV.

*Quiſnam peccatum commiſit neceſſarium, vt nihilò minus, ſi voluiſſet, ab omni ſibi peccato committendo cauére potuerit?*

SOLVTIO.

Adamus ad imaginem DEI conditus, non corruptam habebat, atque ad malum

malum tantummodò propensam, qualem nos, naturam: Sed tùm ad bonum, tùm ad malum, arbitrio libero ferebatur. Quod cùm ita sit, opera nonnisi bona COMMITTERE, praua verò in perpetuum OMITTERE potuisset. Propterea etiam cùm peccaret, peccauit liberè, non coactè. Suâ siquidem sponte voluntas ipsius, ad degustandum arboris interdictæ fructum rapiebatur. Hunc tàm turpem Adami lapsum, diuina Majestas dudum præviderat, & dudum etiam apud se decreuerat. Non tanquam peccatum, sed tanquam medium, ad consilium suum exequendum, & augendam, atque amplificandam nominis sui gloriam, aptũ atque idoneum. In reprobatis nimirum justè puniendis, & electis in Christo gratiosè conseruandis. Atque hoc posteriori modo, decreti scilicet diuini ratione, fuit omninò aliqua necessitas, per quam Adamus peccare cogebatur. Necessitas, dico, si decreti diuini euentus consideretur: Necessitas autem nulla, si voluntas Adami libera perpendatur, vtpote in cujus erat potestate positum, à rebus vetitis atque illicitis perpetuò abstinére.

## XLV.

*Cùm praua carnis concupiscentia, omnium peccatorum actualium fons sit & origo: quis eâ licet destitutus, peccatum nihilominus legitur commisisse?*

SOLVTIO.

Deus Adamum quidem absque vllâ ejusmodi concupiscentiâ, sanctum ac justum condiderat: Deo autem voluntatem hominis non confirmante, homo suâ seipsum sponte, in malam tentationem, exterius suggestam præcipitauit.

Deus autem, cùm sit justus omnium peccatorum vindex, hanc voluntariã Adami contumaciam, grauissimè vltus est. Permisit siquidem Devs, justo suo judicio, vt praua illum concupiscentia occupâret, quæ inde ab eo, tanquam humani generis origine, redundauit, ad vniuersam, (proh dolor,) posteritatem. Ex his concludi potest, peccatum Adami actuale, originali præcessisse: At nobis, vice versâ, prius quidem adhæret peccatũ originale, ac tùm demùm, per peccata nimirum actualia,

Rom. 7. 7. Iacob. 1. 14. 15.

*Nos documenta damus, quâ simus origine nati.*

Ouid. *lib.* 1. *Meta. cap.* 7.

XLVI. *Qui*

XLVI.

*Quî fieri potest, vt vnius alicuius lapsus, omnes homines peccatores reddat, idque non iniustè.*

SOLVTIO.

Delicta nostra id non possunt, cùm sint personalia, & nobismetipsis, aut quibusdam aliis, paucis tamen, noxia. Adam autem, cum ex diuinâ ordinatione constitutus esset, humani generis origo ac principium: propterea ipso delinquente, omnes etiam homines in eo deliquerunt. Illud inobedientiæ crimen, quod videbatur ipsi soli proprium, vniuersale fuerat, atque ejusmodi, quod omnis omnium posterorum noxæ, omnisque miseriæ causa sit. Quod si verò terreni Principes, justè puniant cum parentibus liberos, si parentes tantùm, non liberi, fuerint proditionis, aut conspirationis conuicti: Quantò id magis Deo licet: vt ipse interim justus maneat, in vniuersis, quæ facit operibus.

*Ezech. 18. anima quæ peccauerit morietur.* Bernhard. *In lapsu primi parentis cecidimus omnes.*

*Rom. 5. 12. 19.*

*Dan 9. 14.*

XLVII.

***Quomodo cum æquitate, ac ratione conuenit, vt peccatum in momento commissum, mortem in omnes homines causet sempiternam?***

SOLV-

SOLVTIO.

Pertinax Adami inobedientia, vnus quidem erat peccandi actus, isque non continuatus, ſed momentaneus. Objectum autem peccati quodnam fuerit, præcipuè debet à nobis conſiderari. Etenim quoniam Adamus, hoc vno peccandi actu, æternam Dei majeſtatem offenderat, propterea æternæ fuiſſet damnationi obnoxius, niſi à miſericorde Deo, peccati veniam impetrâſſet. Iuſtitia illud poſtulat, vt peccata illa, quibus eſſentia ſempiterna læditur, ſupplicio etiam puniantur ſempiterno. Sunt enim peccata omnia, ex perſonarum illarum dignitate, contra quas committuntur,) æſtimanda. Nam

Rom. 6. 23.

*Omne hominis vitium tantò conſpectius in ſe*
*Crimen habet, quantò maior quem lædit habetur.*

XLVIII.

*Cùm Deus Adamo mortem minatus fuerit, eo ipſo die, quo de fructu comederet: Qui factum eſt igitur, quod nõ continuò à tranſgreſſione mortuus; ſed per diuturnũ multorum annorum ſpatium ſuperſtes fuerit?*

SOLV-

SOLVTIO.

Iam in Adamo conſummatæ erant omnes illæ DEI minæ ſimulatq; grauiſſimum illud, in fructu comedendo, peccatum commiſiſſet. Enimverò à lapſu ſtatim, animam habuit ſpiritualiter mortuam, corpus autem, ab illo ipſo tempore, tùm morti naturali, tùm variis inſuper hujus vitæ miſeriis, atq; ærumnis obnoxium. Interim Deo differre placuit executionem ſententiæ plenariam, vt inexhauſtam ſuam miſericordiam, hâc ratione conſpicuam redderet. Idcircò Adamo, non opportunam tantummodò occaſionem : ſed ſatis diuturnum quoque vitæ ſuæ 2. *Pet.* 3.
ſpatium, ad reſipiſcentiam conceſſit. *Rom.* 2. 4.

XLIX.

*Quid illud eſt, quòd peccatum cùm ſit, eſt ſimul etiam, tùm cauſa, tùm peccati pœna?*

SOLVTIO.

Praua carnis noſtrę concupiſcentia, omnibus hominibus originaliter implantata, propriè loquendo, peccatum eſt. Nam non tantùm legem illam, *Rom.* 7. 7.
quæ concupiſcentiam defendit, tranſgreditur : ſed in animis quoque rege- *Rom.* 7. 21.
neratorum, gubernationi ſpiritûs ſeſe 22.
opponit. Tùm etiam pœna eſt pecca-

ti,

ti, propterea quòd per eam Adamus propter insignem inobedientiam, (qua Deum scienter ac voluntariè offenderat) punitus sit. Postremò causa est, & velut amara radix, vndè peccata nostra actualia progerminant.

Iacob. 1.15.

L.

*Quid illud fuit, quod cum inenarrabili fœlicitate junctum, simul etiam miseriam attulit longè omnium maximam?*

SOLVTIO.

Adami lapsus, quatenus eo consideratur modo, quo in peccatum, æternámque mortem, mortales omnes præcipitauit: Eatenus tantâ erat coniunctus cum miseriâ, vt nihil damnosius, vel calamitosius potuerit excogitari. At verò Euentûs ratione, in quo bonitatem suam admirabilem misericors Deus manifestauit, lapsus Adami, Fœlix crimen, appellandus est. Is enim redemptioni electorum, per Christum, in carne manifestatum, perfectæ, occasionē præbuit; nobisq; peperit cœlestem fœlicitatem, constantem illam, & in perpetuum permansuram.

L I.

*Quâ ratione potest, qui Deo iā est similis, in eo peccare grauiter, quod cupiat ipsi esse similis?*

SOLV-

SOLVTIO.

Adam prima DEI Creatura, eatenus erat Creatori ſimilis, quatenus ad ipſius effigiem perfectè juſtus ac ſapiens fuerat efformatus. Ipſe autem ita ſublatus in altum, immensâ ſc.ruina dedit inde præcipitem. Nam iis, quæ acceperat, non contentus donis, ad altiora aſpirauit ipſique Deo æqualis eſſe cupiens, horrendum in eo peccatum commiſit.

LII.

*Cur omnes in Adamo dicuntur peccauiſſe; cùm mulier fuerit in tranſgreſſione prior, atque ipſi etiam viro cauſſa transgreſſionis?*

SOLVTIO.

Dei quidem mandatũ prius mulier violauit, antequam poſſet maritũ decipere, & fructûs deſiderio accenſum ad idem peccatum committendum, adducere. Interim nihilominus Sacræ teſtantur literæ, nos in Adamo, non in Evâ deliquiſſe: propterea quòd à viro potiſſimum, (cùm ſit principale in generando agens,) peccatum ſoleat ad ſobolem propagari. I.

Licet prior fuerit in tranſgreſſione mulier; veruntamẽ ita cõparatũ eſt, vt culpa II.

culpa non tàm ſit mulieri, quàm viro imputanda. Is enim cùm antè illam eminéret, tùm dignitate ſexûs, tùm gratiæ excellentiâ: Idcircò erat & habilis, & obligatus etiam, vt ſemetipſum à peccato continére, atque vxorem ab eo detinére potuerit ac debuerit. Propterea à viro, tanquam excellentiore deſcendit denominatio.

## LIII.

*Cùm primi parentes noſtri, à creatione ſtatim perfectâ fuerint inſtructi cognitione; Quo ſenſu dicuntur igitur, peccato nondum ab ipſis perpetrato, bonum, malumq́; ignoraſſe?*

### SOLVTIO.

Erant illi quidem ante lapſum perfectâ rerum cognitione, ſed ſpeculatiuâ præditi. Carebant autem experimentali boni ac mali ſcientia, vſq; quò peccauiſſent. Tunc enim demùm perſpexerunt, quantum bonum peccando amiſiſſent, quantumque malum ſibimetipſis, totique poſteritati acquiſiuiſſent. *Gen.* 3.7.

## LIV.

*Quî poſſunt animæ noſtræ peccatis cõtaminari, cùm illas Deus puras condiderit, nullaq́; labe peccatorum infectas?*

SOLV-

SOLVTIO.

Circà præſentem quæſtionem, multū à multis agitatam, duæ potiſſimùm reperiuntur diuerſorum ſententiæ. Hâc enim opinione quidam ſunt imbuti, animam à DEO immediatè atque ex nihilo condi, humanisq; poſteà corporibus infundi. Quod ſi hanc igitur amplectamur ſententiam; fatendum nobis eſt, animam, cùm à DEO creatur, bonam creari quidem: ſed non permanére. Quandoquidem à creatione ſtatim diuinâ gratiâ deſtituatur; & quandam habére incipiat ad malum propenſionem. Simulatque enim ingreſſa fuerit, immundum hominis alicujus corpus, impurâ continuò contagione infici, ſordesque corporis attrahere cogitur: Haud ſecus quàm dulcis quidam liquor neceſſariò corrumpitur, ſi quando in vas ejusmodi, quod mucorem contraxit infundatur. Hinc Poëta verè canit:

*---Hominum quod corpus onuſtum* Horat.
*Impuris vitijs, animam quoq; pregrauet vnà;*
*Atq; affligat humi diuina particulam auræ.*

Alii, quibus non arridet prior hæc opinio, in hâc ſentētiâ conſtituti ſunt, à pa-

à parentibus ad liberos non corpora tantum, ſed animas etiam propagari; non aliter, quàm vnius accenſæ candelæ lumen, candelis plurimis poteſt cõmunicari. Quam aliorum opinionem ſi ſuffragio noſtro comprobemus, neceſſè eſt totum hominem corruptum, deprauatũq; ſtatuamus, & generationis carnalis ratione, quà corpus pariter atq; animam peccatis inquinatum. Parentes enim quos gignunt liberos, eos ad propriam ſui imaginem, impuros gignunt ac vitioſos. Hinc fit, quod deprauata hominis natura, ſæpe numero in Scripturâ ſacrâ carnis nomen ſortiatur. Sed vt huic tandem quæſtioni faſtigium imponatur, quid quæſo vtilitatis ad nos redundabit, tametſi magnâ contentione de peccati introitu diſceptemus? Quin hæc potius reliqua pars eſt, hic reſtat actus, in hoc nobis elaborandum eſt, vt expulſis atque exterminatis omne genus vitiis, commiſſorum à nobis peccatorum condonationem impetremus.

*Gen. 5. 3.*

*Rom. 7. 5.*
*Rom. 8. 1. 2. 3. &c.*

LV.

*Quo iure poteſt peccator appellari, qui neq; offendit cogitando, nec proloquendo, neque vllum vitium committendo.*

SOLV-

SOLVTIO.

Infans nupergenitus, cùm sit peccato contaminatus nullo, quod actuale dicitur; eum tamen impurum & peccatorem reddit

*Sordida quam trahimus primauâ ab origine labes.*

* Quandoquidem Adami transgressio infantibus imputatur, ipsisq;, perfectâ justitiâ destitutis, inhæret quædam naturæ corruptæ ad omne malum inclinatio. *Rom.* 5. 13. 14. Bernhard. *In casu primi parentis cecidimus omnes.*

August. *Pueri in ramo adhuc nihil commiserunt, sed in radice perierunt.*

LVI.

*Cùm omne peccatum necessario sit alicuius ex lege, præcepti violatio: qui fieri potest, vt aliqua res peccatum quidem; præcepti verò vnius alicuius transgessio, dici non possit?*

SOLVTIO.

Naturalis corruptio, quatenus nobis impedimento est, ne Deum, ac proximum nostrũ amore perfecto, (qualis à nobis in lege flagitatur,) cõplecti valeamus: Eatenus in vnoquoq; totius Decalogi præcepto æqualiter prohibetur. Deinde, cùm originalis illa naturę nostrę deprauatio, vniuersalis q̃dã sit: 11

ſit totius legis tranſgreſſio : propterea eſſe nequit, (vt fert opinio nonnullorum,) in vno aliquo Decalogi præcepto ſpecialiter interdicta.

LVII.

*Quanquam dicuntur omnia à Deo eſſe condita, nonnulla tamen reperiuntur, quæ certum eſt ab eo creata non fuiſſe, & quanam illa?*

SOLVTIO.

Gen. 3. 1. Mors, & peccatum, malitiæ Satanicæ, ac lapsûs Adami effectus cùm ſint: propterea manuum diuinarum opera nequeunt appellari. Is enim tametſi permittat iis, vt reuera ſint, regatque etiam, atq; gubernet: Attamen, (cùm omnia ejus opera valdè bona fuerint,) non poteſt, vel peccatum, vel mortem, vtpote res malas condidiſſe.

Gen. 1. ℣ vltimo.

LVIII.

*Quæ illa res eſt, per quam benedictiones in maledictiones vertuntur, ac mutantur?*

SOLVTIO.

Peccatum, ſi quando imperium in homine obtineat, facit vt illa omnia, quæ in ſalutem hominis à Deo immittuntur, æternæ illius perniciei cogantur inſeruire.

## LIX.

*At illud quidnam est, quod certum licet nomen habeat, non debet tamen à nobis nominari?*

SOLVTIO.

Omne quidem, in genere, peccatum, res est adeò turpis atque immunda, vt illud absq; detestatione sit nunquam nominandum. Particulatim autem idololatria, fornicatio, atque auaritia; hæc inquam, peccata omnia, res esse debent nobis abominabiles. *Ps.* 16. 4. Eph. 5. 3.

## LX.

*Quidnam illud est, quod stimulum habet, cum stimulum amiserit?*

SOLVTIO.

Peccato ac morti, per passionis Christi efficaciam, ratione fidelium, stimulus est ademptus: adeò vt iam:

*Amisso stimulo nomen inane gerant:*

At verò impiorum respectu remansit illis stimulus, vt eo impij lanientur ac pungantur. *1.Cor.* 15. *Rom.* 6. 23.

## LXI.

*An illud cum justitia conuenit, quòd Deus hominem, priusquam sit, vel amore suo, vel odio prosequatur?*

ſit totius legis tranſgreſſio: propterea eſſe nequit, (vt fert opinio nonnullorum,) in vno aliquo Decalogi præcepto ſpecialiter interdicta.

LVII.

*Quanquam dicuntur omnia à Deo eſſe condita, nonnulla tamen reperiuntur, quæ certum eſt ab eo creata non fuiſſe, & quænam illa?*

SOLVTIO.

Mors, & peccatum, malitiæ Satanicæ, ac lapsûs Adami effectus cùm ſint: propterea manuum diuinarum opera nequeunt appellari. Is enim tametſi permittat iis, vt reuerâ ſint, regatque etiam, atq; gubernet: Attamen, (cùm omnia ejus opera valdè bona fuerint,) non poteſt, vel peccatum, vel mortem, vtpote res malas condidiſſe.

Gen. 3. 1.

Geneſ. 1. ỽ vltimo.

LVIII.

*Quæ illa res eſt, per quam benedictiones in maledictiones vertuntur, ac mutantur?*

SOLVTIO.

Peccatum, ſi quando imperium in homine obtineat, facit vt illa omnia, quæ in ſalutem hominis à DEO immittuntur, æternæ illius perniciei cogantur inſeruire.

LIX.

*At illud quidnam est, quod certum licet nomen habeat, non debet tamen à nobis nominari?*

SOLVTIO.

Omne quidem, in genere, peccatum, res est adeò turpis atque immunda, vt illud absq; detestatione sit nunquam nominandum. Particulatim autem idololatria, fornicatio, atque auaritia; hæc inquam, peccata omnia, res esse debent nobis abominabiles. *Ps.* 16. 4. *Eph.* 5. 3.

LX.

*Quidnam illud est, quod stimulum habet, cum stimulum amiserit?*

SOLVTIO.

Peccato ac morti, per passionis Christi efficaciam, ratione fidelium, stimulus est ademptus: adeò vt iam:

*Amisso stimulo nomen inane gerant:*

At verò impiorum respectu remansit illis stimulus, vt eo impij lanientur ac pungantur. *1. Cor.* 15. *Rom.* 6. 23.

LXI.

*An illud cum justitia conuenit, quòd Deus hominem, priusquam sit, vel amore suo, vel odio prosequatur?*

SOLVTIO.

Maximè verò. Id quod paulò post demonstrabitur, si breuiter prius ostēsum fuerit, quo sensu Deo in scripturâ Sacrâ, vel amoris nomen vel odii tribuatur.

Decretum igitur Dei, quo hominē aliquem amore complecti apud se constituit, amor illius seu dilectio, in Sacris paginis vsurpari, atque appellari solet. Decretum enim illud, de donando nobis dilectionis filio, per quem reddamur grati, atque accepti, pars quædam dilectionis meritò dici potest. Eodem modo Dei propositum, quo alios, per Christum non saluandos, ad odium decernit, (cùm sit effectus quidam odii,) propterea voce odii notatum, designatumque reperitur.

Deus igitur, siue amare, siue odisse dicitur, cùm quid eorum facit, quæ hominibus alioquin assignantur, affectiones ejusmodi habentibus. Nunc, vt ad quæstionem respondeatur, injustum pariter atque absurdum foret, hominem aliquem, qui actualiter nondum existeret, actualiter velle amare, vel odisse. At verò hominem, priusquam sit, decernere, ad actualem

ſem vel amorem, vel odium, id inju-
ſtitia in eo dicit nequit, cujus volun-
tas abſoluta eſt omnis juſtitiæ præſcri-
ptio ac norma. Rom. 11.

## LXII.

*Cùm ſit æqualis omnium hominum, quà creationem bonitas, æqualis etiam eorundem quà corruptionem malitia: quî fieri poteſt, vt apud* D E V M *nulla ſit, in electione ac reprobatione* προσωποληψία?

## S O L V T I O.

Προσωποληψίας vocabulum, phraſi ſcripturæ vſitatâ, reſpectum quendam qualitatum externarum, opûm videlicet patriæ, parentum, aut eruditionis ſignificat. Cujuſmodi rebus, ſi aliquo ſaltem modo moueretur D E V S, vt hos quidem ad vitam eligeret, illos autem repudiaret proſopoleptes reuera diceretur. At verò ex ſolâ εὐδοκία, (cùm ſit æqualis omnium hominum in Adamo corruptio:) eorum nonnullos videt: conuerſos ad ſalutem ordinare, alios aduerſos ad damnationem, idque ad juſtitiæ diuinæ,

ac misericordiæ gloriam, προσωποληψία dici non potest.

LXIII.

*An Deus peccati non est author, qui omnia tamen per prouidentiam, priusquàm eueniant, præuidet, ac decernit?*

SOLVTIO.

Deus vniuersa quæ accidunt, peccata etiam ipsa præuidet, eademque, antequam contingant, apud se constituit. Non tanquam peccata, sed tanquam media, per quæ justum suum consilium, in promouendo electorum bono, ac multiplicandâ reprobatorum pœnâ executioni mandet. Cujus rei valdè illustria in Sacris literis reperiuntur exempla, Iosephi inprimis per fratres venditio, & saluatoris nostri per Iudam proditio. Deus igitur peccata omnia ad finem justum proponit ac disponit; neminem autem ad peccandum mouet, instigat, aut persuadet.

*Gen.* 45. 5. *Act* 2. 23. *Iacob* 1. 13.

LXIV.

*An hominis alicujus electionem, ejusdem necessariò sequitur saluatio.*

SOLVTIO.

Nullo modo. Etenim quod ejusmodi homines, ad functionem externam eli-

eligantur, siue ciuilem, siue Ecclesiasticam, quos seruari tamen non sit necesse, cùm alia plurima in Sacris literis; tùm vel inprimis Sauli ac Iudæ exempla clarum faciunt atque perspicuum. Non possunt autem non seruari, quos Deus ad sanctificationem Spiritûs vocauit atque elegit. 1. Pet. 1. 2.

LXV.

*Cùm Deus nolit peccatoris mortem, quo sensu illam dicitur pro peccato decreuisse?*

SOLVTIO.

Decreuit quidem mortem Deus, sed quatenus justum est stipendium peccatorum, quo illa puniuntur. Quatenus autem creaturarum destructio, earundemq; causa est interitûs eatenus Deo idcircò est inuisa, quod ipsi, tanquam Creatori, Creaturarum suarum occasus gratus esse non possit. Quemadmodum igitur rex aliquis, clementiæ ac justitiæ deditus, in omnibus regni sui partibus, ad malefacta hominum punienda, carceres, ac torturas constituit; cùm nullam tamen delectationem hauriat, ex eo quo subditi afficiuntur supplicio: Pari ratione, modóque, nobiscum agit Deus, cui cùm accepta non sit illa, quam mors causat

creaturarū destructio, mortem nihilominus in peccatorum pœnam placuit ordinare.

LXVI.

2.Tim.2.25. Rom.5. &c. *Si Deus, ex scripturæ testimonijs omnes vult seruari; cur plurima reperiuntur igitur iræ diuinæ vasa, ad destructionem ab ipso præparata?*

SOLVTIO.

Quotiescunq; de Deo dicitur, quod omniū hominū salutē cupiat: Nō vnūquodque innuitur indiuiduum, quasi (secundum erroneam nonnullorū sententiam,) ad mortem sempiternam nemo damnandus esset: verùm per vniuersalem particulam, omnis generis ac conditionis homines, tàm pauperes, quàm diuites, reges ac subditi &c. designantur, ex quibus Deus ad vitam quidē alios; alios autem ad iram mortemque ordinauit.

1.Tim.2.3. Rom.9.22.

LXVII.

*Quomodo Deus multos ad destructionem præparat, vt eorum tamen perditio propterea non sit Deo; sed illis ipsis adscribenda.*

SOLVTIO.

Duo in destructione consideranda veniunt, propositum, atque ejusdem executio. Ac propositum quidem eatenus

tenus est à Deo, quatenus destructionem, ceu justam peccatorum pœnam decernit. Destructionis verò causa, delictis hominum enormibus, atque illorum inobedientiæ debet assignari. Osea. 13. 9.

LXVIII.

*Qui fieri potest, vt contra Dei quidem voluntatem, nec tamen præter illius voluntatem res aliqua committatur: Et, si voluntas illa Dei secreta est alia, alia reuelata, quâ igitur ratione vna esse poterit?*

SOLVTIO.

Peccata hominum vniuersa, committuntur contrà voluntatem Dei patefactam, à quo sunt seriò interdicta. Veruntamen ne vnum quidem, præter occultam illius voluntatem potest perpetrari. Quod cùm ita sit, diuina tamen voluntas, (quemadmodum etiam Deus ipse,) tùm vna semper est & eadem, tùm prorsus immutabilis. Atque hius quidem voluntatis, aliquam nobis partem Deus manifestauit, sibiq; soli partem reseruauit. Nam quæcunq; veram concernunt salutis consequendæ viam, vitæque nostræ instituendæ regulã, illa nobis omnia verbo diuino

habemus patefacta. Quæ autem spectant rerum ac personarum, consiliorum item atque actionum euentus, illa soli Deo tamdiu sunt perspecta, vsquequò in lucem ab eo proferantur. Atq; hinc est, quòd diuina voluntas, in reuelatam & occultam, diuidi soleat atque distingui.

*Deut.29.29*

## LXIX.

*An potest voluntas aliqua, siquidem peccatum cupiat, peccati tamen esse expers?*

### SOLVTIO.

Imò potest: Sed hâc tamen adjunctâ conditione, vt peccatum velit, nō quatenus est ἀνομία vel παρανομία: sed quatenus per peccatum illud, tanquam medium, aut præcedentia quædam peccata puniuntur, aut benedictioni futuræ occasio præbetur. Atque hoc modo dici potest Deus, nostrorū protoplastorum lapsum, ac proditionem Iudæ voluisse.

*Rom. 1.*

## LXX.

*Ecquis omne malum facit, & causa tamen non est mali?*

### SOLVTIO.

Sapiens ac justa Dei prouidentia, omnia operatur AFFLICTIONIS

*Prouidētia.*
*Esa. 45.*

MALA

MALA: At verò mali non est causa, quod CVLPÆ MALVM appellatur.

LXXI.

*At quisnam cùm sit summè bonus, ex eo quod naturâ malum est, boni quid elicere atq; exprimere potest?*

SOLVTIO.

Deus omnia culpę mala, quæ ab hominibus perpetrari possunt, pro sapientiâ suâ laudabili, ac bonitate admirabili, in maximum electorum commodum, vtilitatemque conuertit. Interim tamen, quemadmodũ sol nõ inquinatur, licet purissimus illius splendor, atque eximia claritas, super re immundâ sese extendat, Ita nec DEVS contaminari potest, tametsi prauas mortalium actiones ad finem vtilem, justumque decernat.

August. *Deus etiam malis rebus vti nouit & nihil pateretur malè fieri, nisi aliqd boni exinde posset & vellet elicere.*

LXXII.

*Cur Deo media ordinare placuit, cùm possit tamen omnia, non tantum absque medijs; sed etiam contrà mediorum naturam?*

SOLVTIO.

Deus hominibus assignauit media, vt hâc ratione illorum infirmitati eò melius occurreret. Ipse verò cùm sit omnipotens, ac nullâ teneatur necessi-

tatis lege, idcircò mediorum vsui, tanquam ipsi necessario, astringi nequit, atque alligari. Deus enim pro libitu, nonnunquam quidem per media, non rarò sine mediis, interdum contrà ipsam operatur, quæ mediis inest ἀντιπάθειαν. Id quod luculenter ostendunt exempla illa duo, notatu atque obseruatu digna: de cæci videlicet per lutum sanatione; ac Danielis etiam conseruatione. Cui vt inquit Poëta

Sabellicus.

*Sæpius obiecto, sæui parsêre leones.*

LXXIII.

*Cùm mediorum vsum Deus ordinauerit, quoties illum necessitas flagitare videretur: quænam est igitur ratio, quod alij quidem vtendis medijs; alij verò peccent ijsdem recusandis?*

SOLVTIO.

Mediorum vsus in abusum vertitur, quoties homo non in Deo: sed mediis ponit confidentiam. Prout rex Asa legitur medicinam adhibuisse, ac prout Auari diuitiis vti solent. Qui certè mediorum vsus non minus est peccatum, quàm aut mediorum ex incuriâ NEGLECTIO; aut eorundem contumax REIECTIO. Qui enim necessarium detrectant legitimorum medio-

mediorum vſum, eâ de causâ vitupe-rantur meritò, quod coniiciendo ſei-pſos in periculum, Deum tentare non vereantur. Qui autem mediis vtun- *Matt.* 4.
tur eo quo dictum modo, propterea iure reprehendendi ſunt, quod ſibi ex mediis Deum quaſi faciant, detractam à DEO fiduciam in mediis collocan- *Col.* 3.
do.

## LXXIV.

*Quomodo vitam poſſunt res mortuæ, conſeruare?*

SOLVTIO.

Tanta eſt benedictionis diuinæ vis & efficacia, vt mortua animalium ca-ro, veſteſque etiam frigidæ, vitam hu-manam ſuſtentare poſſint. Illa quidem, in ſuccum noſtrũ ac ſanguinem tranſ-eundo: Iſtæ verò frigus nimium, (quo alioquin enecaremur,) à corpore pro-pulſando. *Prouidentia Dei vniuerſalis.*

## LXXV.

*Quî fit quod ſæpenumerò illis res malè cedat, qui bonis ac legitimis medijs, rectè etiam adhibitis, cauſam ſuam bonam ſtudent promouere: Alijs autem, qui in causâ malâ medijs illicitis, idque ſecus quàm par eſt vtuntur, ex animo omnia ac proſperè eueniant?*

SOLVTIO.

Cùm ij fortunam aduersam experiuntur, quibus causa bona, ac media sunt legitima, illud propterea fit, vt vel de erroribus hoc modo moneantur, vel eorundem & fides, & patientia à Deo exploretur. Improbis verò malâ cum causâ mala etiam media habentibus, fœlix nonnunquam à Deo conceditur, rerum omnium successus. Idque, vel ad declarandam Dei ergà malignos benignitatem, ac humanitatem ergà inhumanos, vel ad manifestandam ipsius eò melius justitiam in pœnâ ejusmodi hominum, nì sese corrigant, adaugendâ.

LXXVI.

*Quomodo filij Dei perfectè liberantur, eo ipso momento quo dolorem sentiunt?*

SOLVTIO.

*Prouidentia Dei. I. in mortè.* Cùm mors dolore afficiat filios Dei morituros: Est tamen plenariæ liberationis medium; ac requiei causa sempiternæ. *Apoc* 14.13.

LXXVII.

*Cur mors Sanctorum semper pretiosa dicitur, cùm tantus eorum reperiatur numerus, qui vitam vili cum morte commutarunt?*

SOLV-

SOLVTIO.

Mors quidem piorum Martyrum nonnunquam turpis à mundo æstimatur: At verò causæ ratione, pro quâ mortem oppetunt, & in eorundem etiam constantiæ, in veritate ad mortem amplectandâ: hoc inquam respectu mors illa, coram mundo quidem VILIS ac VIOLENTA; nihilominus tamen in conspectu Dei semper est pretiosa. II. *In martyrio.* *Ps.116.*

LXXVIII.

*An fieri posse arbitraris, vt quoddam inferni ipsius adiumento, ad cœlum possit perueniri?*

SOLVTIO.

Infernalium angustiatum formidatio, antè peccati commissionem, & earundem, post peccatorum patrationem sensus, hæc, inquam, duo, sunt quædam quasi media in electorum salutem à Deo ordinata. Quandoquidem illi nõ à peccatis tantum hoc modo deterrentur; sed ad veram quoque Iesu Christi fidem, amoremque serium efficaciter conuertuntur. Hâc igitur loquendi formulâ infernum nobis prodesse dicitur; eó quod ipse Satanas, tametsi inuitus, (est enim infensissimus humani generis hostis,) quan- III. *In inferno.*

dam filiis Dei medicinam cogatur suppeditare.

LXXIX.

*Nam vna res & eadem, tùm salutaris quidam medicina, tùm præsentaneum venenum esse potest?*

SOLVTIO.

1. Siquidem in se consideritur, & tẽtationes Satanæ, & naturæ nostræ corruptio teterrima esse deprehenduntur insanabilis veneni monstra. Deo tamen sapienter clementerq; ita prouidente, non tantùm sanctis fiunt contrà peccatum antidota: sed etiam ad virtutes varias, (majorem puta humiliationem, diligentiorem cautionem, feruentiorem in pietate zelum, frequentiores denique & ardentiores preces,) efficax quoddam incitamentũ; *Exempla sunt in Iobo, Paulo &c.*

IIII. *In peccatis.*

*Certando cũ tentationib⁹ Satanæ, arripimus vitam æternã. 1. Tim. 6. 12.*

2. Quã est salutaris Sacræ cœnæ vs⁹, cùm quis peccata seriò deplorat, vitáque corrigit atque emendat: Tàm est damnosus ei atque noxius, qui, quasi tempestate ad scelera delatus, ad illa, tanquàm scopulum adhæreſcit. Nempè igitur,

V. *In Sacramentis.*

*Est hæc* VITA PIIS *est hæc* MORS SONTIBVS *esca.*

*Sententia* Aug.

Omnia

3. Omnia tùm bona, tùm mala, seu corporalia, seu spiritualia, aut *vincula* sunt aut *vehicula*. 1. Cor. 9. 27. 29.

LXXX.

*Quæ illa res est, quæ cùm sit omnium amarissima, dulcissimos tamen fructus profert?*

SOLVTIO.

Afflictiones externæ, internus conscientiæ cum tentatione conflictus; postremò etiam adjunctæ legi minæ: Hæc inquam omnia sunt ejusmodi, vt carnali hominum imbecillitati graui quâdam cum molestiâ, & amaritudine conjuncta videantur. Ratione verò interni hominis, fructûs edunt dulcissimos, justitiæ quidem in vita; pacis verò in conscientiâ. VI. *In afflictionibus.* Heb. 12. 11.

LXXXI.

*Cur neminem Deus tentare dicitur: cùm in tentationem tamen multos introducat?*

SOLVTIO.

Neminem Deus ad peccandum tentat, peccandi motum inspirando: (pugnaret enim istud cum sanctissimâ purissimâq; illius naturâ.) In tentationẽ verò propterea introducit, quod, quẽadmodum mundani Iudices malefactores carnifici: ita nonnullos Satanæ, VII. *In tentationibus.*

ac

Rom. 1.24. 26. ac prauis tradat ipsorum cupiditatibus.

LXXXII.

*Si corda hominum à Deo indurantur, num Deus igitur peccati non est author, cùm sit peccatum, cordis induratio?*

SOLVTIO.

VII. *In induratione.* Nullo modo; Etenim Deus non peccatorum infusione, sed occasionum quâdam oblatione, humanos animos reddit induratos. Ac licet causa quædam indurationis videatur, quatenus ad eam occasiones præbet: homines videlicet Satanæ tradendo gratiamq; suam ab illis auferendo, illorum denique voluntatem, ad quod liberè fertur, flectendo: Veruntamen hæc à Deo, non vt ab authore mali, sed vt à justo fiunt judice, peccata hominum peccatis puniente.

August. *Diabolus suggerit. Homo cõsentit. De⁹ deserit.* Idem.

*Non obdurat Deus impertiendo malitiã, Sed non impertiendo misericordiam.*

LXXXIII.

*Quis ille est, qui genua cum non habeat, sese nihilominus coràm Christo incuruare, eiq; quem non diligit, inseruire cogitur?*

SOLVTIO.

IX. *In Satanâ.* Cùm extremo Satan odio Iesum Chri-

Christum prosequatur: Illi tamen, tanquam Domino, inuitus etiam subiugatus est. Ob quam illius subjectionem genua dicitur coràm Christo flectere; propterea quod ejusmodi flexio submissionem quandam denotet ac designet. *Phil. 2.10.*

LXXXIV.

***Quid illud rerum esse reris, quod ipsum excellit creationis opus, & in quo etiam, tùm misericordia Dei infinita, tùm inaudita justitia concurrunt, ita tamen, vt nec misericordiam justitia, neque justitiam pellat misericordia?***

SOLVTIO.

*X. In redemptione.*

In redemptionis opere, quatenus filius Dei dixit, & ei contradictum est, quatenus etiam illius sanguine redemptio peracta est: Eatenus ei cedit Creationis opus, in quo Deus dixit, & quod dixit factum est. Deinde quatenus in filio vnigenito peccata hominū Deus puniuit, partamque filii morte justitiam, ijsdem imputauit: Eatenus suam ergà humanum genus clementiam, ac mansuetudinem manifestauit. Quæ licet ea sit, vt nullius reperiatur tantum flumen ingenij, nulla dicendi tanta vis, tantaque copia, quæ hanc misericordiam,

diam, non dico verbis exornare, ſed tantum enarrare poſſit: Illa tamen iuſtitiæ ipſius nullâ ratione obſtat, atq; impedit: ô inenarrabilem, ô admirabilem Dei ſapientiam! dignam certè quæ à nobis magnifiat, & in æternam temporis ſeriem laudetur ac celebretur.

## LXXXV.

*Quomodo vnus eſſe poteſt duo, & duo viciſſim vnus?*

### Solutio.

Perſonæ reſpectu vnus eſt tantum Chriſtus, propterea quod non ſint diuerſæ, ſed vna tantum in eo perſona. Vnus autem hic Chriſtus duo poteſt dici diuerſarum naturarum ratione, quarum alia diuina, humana alia vocitatur.

## LXXXVI.

*An mulier ex Spiritu Sancto eſſe poteſt grauida, vt is tamen, quem ipſa parit, Spiritus Sancti filius nequeat appellari?*

### Solutio.

In extraordinariâ Chriſti cóceptione, nó erat Spiritus S. inſtrumenti inſtar, nec patris vicem ipſe ſuſtinebat: Sed inſtar principalis efficientis cauſ[ae]

virg

virginem Mariam sanctificabat, eamque occultâ quâdam, & efficaci operatione, ad filium concipiendum idoneam reddebat. Atque hâc Spiritûs Sancti virtute *Matt. 1. & Luc. 1.*

*Partus & integritas discordes tempore longo*
*Virginis in gremio fœdera pacis habent.*

LXXXVII.

*An peccatricis alicuius filius, immunis esse à peccato potest?*

SOLVTIO.

Maria Christi mater, quatenus erat ex Adamo, per ordinariam generationem oritura: eatenus necessariò fuit originali peccato inquinata. Christus autem Mariæ filius, cùm fuerit extraordinariâ generatione natus, virtute scil. Spiritûs Sancti, carnis illam massam, ex quâ Christus formabatur, sanctificantis, propterea (vt seipsum offerendo, purum sisteret sacrificium,) corpus etiam purum assumpsit, nullâque labe originis infectum. *Heb. 4.*

LXXXVIII.

*Cùm omnis homo persona dici queat: quî fieri potest, vt quis sit verus homo; non sit autem persona?*

SOLVTIO.

Cùm ſit tàm arctum coniunctioni vinculum, inter humanam Christi naturam, & perſonam filii Dei: vt illa ne queat abſque hâc ſubſiſtere: propterea Christus verus quidem homo; perſona autem eſſe nequit, a filio Dei distincta ac diuiſa.

Rom. 1.4.5. Gal. 4. 4.

LXXXIX.

*An non tangibile palpari poteſt, & inuiſibile conſpici?*

SOLVTIO.

2. *Actor.* 17. Paul. dicit: *Vt quærerēt Dominū, ſi fortè palpando eum inuenirent.*

Diuina Christi natura, cùm ſit ſubſtantia infinita, ac prorſus incorporea; illa tamen, quà naturam humanam, in ſenſus noſtros, viſum videlicet tactumque incurrit. Quemadmodum ſcriptum eſt. 1. Ioh. 1. v. 1. *Manus noſtræ æternum illud vitæ verbum contrectarunt.*

XC.

*Quâ ratione euenire poteſt, vt is qui tantus eſt, ipſoque cœlo maior, duorum aut trium palmorum ſpatio poſſit contineri?*

SOLVTIO.

Christus Dei filius cum diuinitatis ſuæ immenſurabilis reſpectu, toto maior mundo: Nihilominus tamen hu

humanitatis ratione, angusto quondam vteri materni spatio includebatur. Matth. 1.

XCI.

*Quis ille est, cui voluntas quidem duplex, vna verò inest anima?*

SOLVTIO.

Seruator Christus vna est tantum animâ, duplici autem voluntate præditus, quà homo quidem humanâ & creatâ; quà Deus autem Patri coæqualis, diuinâ atque increatâ. Quarum quanta sit inter se differentia, ante passionẽ potissimum declarauit. Tum enim Christus quà homo, desiderabat, a degustando passionis poculo esse liberatus: tandem verò diuinæ voluntati, quæ rem aliter decreuerat, humanam subiecit, cùm diceret Fiat Pater non quod ego volo, sed quod tu vis. Matth. 26.

XCII.

*Quomodo quis esse potest antequam existat; non esse autem cum existit?*

SOLVTIO.

Christus geminæ naturæ gigas, quà Deitatem, existebat, priusquam esset homo, comprobante id ipsius testimonio, quo se priorem fuisse Abrahamo gra- I. Ioh. 8.

grauiter asseuérat. Hic est qui Deus erat cùm non esset homo : assumptâq; hominis natura, Deus tamen mansit. De quo illud Poëtæ extat.

*Sum quod eram, nec eram quod sum,*
*nunc dicor vtrum[illegible]s.*
Prudent. *Ignoras nisi me stirpe ab vtrâq; tenes.*

Item.

*Ille manet quod semper erat, quod non*
*erat esse*
*Incipiens.* ---

II. Christus iam tùm homo erat, quà patris sui cœlestis promissionem, ejusdemq; certitudinem cùm actualē nondum haberet existentiam.

XCIII.

*Quomodo quis potest, & patrem habére & matrem; vt sit nihilominus ἀπά-τωρ & ἀμή-τωρ?*

SOLVTIO.

Christus quà Deus patrem, quà homo matrem habuit : Non habuit quà
Matt. 1.17. Deus matrem; nec quà homo patrem vt esset hoc posteriori modo Melchisedeci antitypus, cujus parentes Sacræ
Heb. 7. literæ ignorant. Vnde *Heb. 7. 3. ἀπάτωρ & ἀμήτωρ dicitur.*

XCIV.

*Quomodo qui peccator non est, voce quadam*

*dam magis emphaticâ peccatum potest appellari?*

SOLVTIO.

Cùm Christus pro nobis peccatum factus dicitur, id sensum habet magis emphaticum, quàm si peccator fuisse dicatur. Quandoquidem abstractæ voces pro concretis vsurpatæ, significationem soleant adaugere. Nam, exempli causâ, cùm Sacræ testantur literæ, sapientiam carnis aduersus Deum inimicitiam esse, illud plus est dicere, quàm si simpliciter extaret, eam aduersus Deum esse inimicum. Atque vt ad propositum reuertar; Christus peccator dici non meruit, proptereà quod ipse fuerit vsque adeò sanctus, vt peccatum nullum legatur cognouisse. Quatenus verò ipsi incumbebant, omnia omnium electorum delicta, per ejus mortem ab illis auferenda: Eatenus peccatum factus esse dicitur, id est, pro peccatis nostris sacrificium.

*2. Cor. 5.21.*

*Rom. 8.8.*

XCV.

*Quisnam extremâ paupertate pressus, ingentes multis diuitias impertiuit?*

SOLVTIO.

Iesus Christus, cùm esset omnium De-

*Heb. 1.2.*

Dominus, eâ tamen rerum penuriâ premebatur, vt meliorem esse vulpiũ, volucrûmque conditionem fateri cogeretur. Hâc verò suâ egestate, cœlestes nobis peperit ac spirituales opes, & in perpetuum permansuras.

2. Corint. 8.

XCVI.

*Qui fieri potest, vt finita quadam obedientia, infinitum præmium, ac gloriam mereatur?*

SOLVTIO.

Obedientia seruatoris nostri, Patri suo præstita, licet ratione temporis ac rei factæ, humanæ denique Christi naturæ finita fuerit: infinitam tamen dignitatem à Deitate promeruit, propterea quod humanitatis Christi, cum eâ esset personaliter vnita.

XCVII.

*Quinam viuente patre, bonorum paternorum hæredes designantur?*

SOLVTIO.

Quanquam is propriè dicatur esse hæres, qui in bonorum possessione patri defuncto legitimè succedit: Christus tamen nec non fideles, viuente ipsorum patre hæredes constituuntur. Neq; enim eorum Pater, cùm sit æternus ac immortalis Deus, vllo vnquam tem-

tempore interire poteſt. Ac licet hæreditatem ſuam hæredibus communicet, id tamen tùm liberè facit; tùm eo etiam modo: Vt interim

*--- Non minuat ſua, ſed ſua nobis*
*Dum tribuit, nosmet dona ad cœleſtia ducat.*

Aug. *donat Deus debita nihil perdens.* Prudentius.

### XCVIII.

*Quomodo Chriſtus à Patre multa accipit, cùm ipſe donorum omnium dator ſit ac largitor?*

### Solvtio.

Chriſtus quidem quà Deus, hominibus diuinâ ſuâ virgulâ, omnis generis dona ſuppeditat: A patre autem multa accipit quatenus mediator. *Mat.* 28.18. *Eph.* 1.22.

### XCIX.

*Cùm benedictiones, quæcunque etiam temporales, ſolis pijs ſint promiſſæ: quî igitur fit, quod pij quidem ijs deſtituantur, impij autem vt plurimùm fruantur.*

### Solvtio.

Promiſſiones quidem Dei, de diuturnâ in his terris vitâ, ſtatuque rerum in eâ proſpero &c. hæ, inquam, promiſſiones ſolos ſpectant pios, quibus diuinæ dilectionis indicium, ac pignus ſunt futuræ felicitatis. Deus autem, 1. *Tim.* 6.

cùm felicem multis conditionē magis obesse quàm prodesse videat: propterea ijs vel persecutionem, vel aliam aliquam immittit calamitatem. Quod verò impii nonnunquam in hâc vitâ floreant, faustisq; vtantur in omni re successibus: illud propterea fit, vt & præripiatur illis omnis excusatio, &
Luc. 6. toti mundo innotescat, diuina ergà malos bonitas.

## C.

*Quomodo vna eademque persona, sacerdos esse potest & sanctuarium, sacrificium atque altare?*

### SOLVTIO.

Heb. 2. 8. Christus quatenus homo sacrificiū
Matt. 23. 19. simul & sanctuarium; quatenus Deus altare, quatenus Deus & homo, sacer-
Heb. 9. 14. dos erat. De hoc memorabilis extat
Libr. 4. de Augustini locus: Quoniam in sacri-
Trinit. cap. ficio quatuor considerantur, cui
24. offeratur, & à quo, quid offeratur, & pro quibus: idem ipse vnus verusque mediator, per sacrificium pacis, nos reconcilians Deo, vnum cum ipso manet cui obtulit, vnum in se fecit, pro quibus offerebat, vnus ipse est qui obtulit, & quod obtulit. Insuper

id

ipſe etiam altare fuit ſcilicet ſuiipſius; id eſt diuinitas humanitatis.

## CI.

*Quomodo æterna vita tùm naſci potuit, tùm etiam mori, cùm omnis tamen abſoluta æternitas, neque principium nec finem habeat; nec habere poſſit?*

### SOLVTIO.

Chriſtus quidem, quatenus DEVS, non tantùm immortalis illa; ſed & æterna erat vita. Illa autem DEI perſona, incarnationis ratione, tùm ortui fuit, tùm morti obnoxia. Id quod doctrina ſalutaris, atque ejuſmodi eſt, in quâ ſit nobis ſobriè ſapiendum, ſciendumque, quòd hâc loquendi formula, nec non ejuſmodi aliis, (quæ in ſcripturâ paſſim reperiuntur) illud quod eſt humanitati proprium, propter perſonæ vnitatem, diuini Chriſti naturæ tribuatur.

*Ioh.* 1. 2.

1. *Cor.* 2. 8. & *Act.* 20. 28.

## CII.

*Quî potuit Chriſtus morti ſe ſubiicere, & voluntate propriâ ductus, & neceſſitate nihilominus coactus?*

SOLVTIO.

Christus eatenus voluntariè obiit, quatenus ipsi ex merâ misericordiâ per mortem placuit electos liberare. Sed quatenus per eum erant implenda necessariò, tum patris sui cœlestis propositum, tùm Testamenti veteris prophetiæ, propterea ipse dicendus est, mortem coactus sustinuisse. Mortuus igitur est Christus, quoniam mori voluit; Sed quoniam Pater ordinauerat; idcircò mori debuit.

Ioh. 10.18.

Luc. 24.25.

CIII.

*Quo pacto anima à corpore separata, cum illo arctissimè coniuncta esse potest?*

SOLVTIO.

Licet Iesu Christi anima à corpore fuerit per mortem segregata: Illa nihilominus, ac filii Dei persona indisrupto quodam inter se vinculo continebantur. Adeò enim est inseparabilis duarum Christi naturarum vnio vt Christus æterni priuaretur sacerdotis titulo, siquidem diuersæ ipsius naturæ, vel vno saltem momento sejungerentur.

CIV.

*An quis simul & vinci potest, & victoriam reportare?*

SOLV-

SOLVTIO.

Chriſtus morti tanquam victori ceſſit, quatenus ipſe vitæ expers, ſepultus eſſe legitur: Veruntamen eo ipſo tempore, quo ſuperatus putabatur Chriſtus, eo, inquam tempore, quantum ipſius funus fidelibus eſſet fœnus euidenter demonſtrauit. Tunc enim à mortuis reſurgendo de omnibus hoſtibus potentiâ ſuâ victis, gloriosè triumphauit. *Coloſ. 2.*

Eodem modo ſancti perſecutione ſuperantur; patientia veró vincunt: Nam

*Quæ mala non ſuperat fortis patientia?*

Semper enim illud animo ac cogitatione ſecum agitant. quod ſc. Peccatum lædat facientem; non patientem.

CV.

*Quomodo poteſt agnus Leonem ſuperare?*

SOLVTIO.

Ieſus Chriſtus agnus ille Deì, ſolus is eſt, qui efficaci mortis ſuæ merito ex rugientis Leonis Satanæ nimirum faucibus omnes electos clementer liberauit. Vndé illius imperium, qui poteſtatem mortis habebat, per mortem ſuam deſtruxiſſe dicitur.

*Heb. 2. 14.* Beda *Homil. in feſt[o] Paſchatis. Veniens Ag[]nus immaculatus Ieſus Chriſtus dignatus eſt immolari pro nobi[s] qui morte pro nobis ſuſceptâ mortis imperium perpetu[]*

*damnauit, & iucundo ſpectaculo agnus innocenter occiſus, leonis qui agnum occiderat vires potenter attriuit. Agnus qui tollit peccata mundi, Leonem qui intulit peccata mundo, confregit: agnus qui nos ſua carnis & ſanguinis libamine, ne pereamus reficit, Leonem, qui nos rugiens circumit, interfecit.*

CVI.

*Quis lapis alijs labendi cauſa eſt: & alijs cauſa reſurgendi?*

SOLVTIO.

Chriſtus quidem omnibus ijs, qui verâ fide eidem adhæreſcunt, precioſus eſt ac ſalutaris lapis: Contumacibus autem incredulis, & Chriſtum, lapidem oblatum repudiantibus, illis, inquam, ſecundum Scripturam eſt of-
1. Pet. 2. 6. 7. fenſionis lapis, & petra quædam ſcandali, Itaque

*Electis Christus ſcopus eſt, ſcopuluſq; rejectis.*

CVII.

*An veritati videtur conſentaneum, vt quiſquam alijs vitam communicet, nec vitam támen ipſemet poſſideat?*

SOLVLIO.

Licet humana natura Chriſti, omnibus veris ac ſinceris Eccleſiæ ſuæ membris, vitam largiatur: Ea tamen

vita

vita nequáquam humanitati originaliter, propriè, ac per se inhæret. Cùm enim nihil prosit, nihil conducat caro; sed soli Spiritui seu diuinitati viuificatio tribuatur: propterea caro Christi siue humanitas, eam aliisq; vitam communicat, à Deitate necessariò participat, tanquam perenni omnis vitæ fonte. Ioh. 6. 63.

CVIII. & CIX.

*Quomodo mors vitæ causa; & mors mortis esse potest?*

SOLVTIO.

I. Mors seruatoris nostri Iesu Christi, à Deitatis dignitate æstimata; nobis æternam peperit ac beatam vitam. Illa fecit, vt quando morte temporali morimur, non tam moriamur; quam oriamur iuxta illud: Ioh. 1. 6

*Mors, vanæ vitæ finis; origo bonæ.*

II. Eadem quoque mors Christi mortis mors est seu destructio, quandoquidem, juxta Prophetæ vaticinium, omnem ei priorem ademit potestatem. Hinc nimirum ortum habet peruulgatum illud: Hos. 13. 14

*Mors moritur, mortẽ mortua vita vorat*
*Mors mortis morti mortem nisi morte dedisset*
*Æternæ vitæ ianua clausa foret* --

*damnauit, & iucundo ſpectaculo agnus innocenter occiſus, leonis qui agnum occiderat vires potenter attriuit. Agnus qui tollit peccata mundi, Leonem qui intulit peccata mundo, confregit: agnus qui nos ſua carnis & ſanguinis libamine, ne pereamus reficit, Leonem, qui nos rugiens circumit, interfecit.*

## CVI.

*Quis lapis alijs labendi cauſa eſt: & alijs cauſa reſurgendi?*

SOLVTIO.

Chriſtus quidem omnibus ijs, qui verâ fide eidem adhæreſcunt, precioſus eſt ac ſalutaris lapis: Contumacibus autem incredulis, & Chriſtum, lapidem oblatum repudiantibus, illis, inquam, ſecundum Scripturam eſt offenſionis lapis, & petra quædam ſcandali, Itaque

1. Pet. 2. 6. 7.

*Electis Chriſtus ſcopus eſt, ſcopuluſq; rejectis.*

## CVII.

*An veritati videtur conſentaneum, vt quiſquam alijs vitam communicet, nec vitam támen ipſemet poſſideat?*

SOLVLIO.

Licet humana natura Chriſti, omnibus veris ac ſinceris Eccleſiæ ſuæ membris, vitam largiatur: Ea tamen

vita

vita nequáquam humanitati originaliter, propriè, ac per se inhæret. Cùm enim nihil prosit, nihil conducat caro; sed soli Spiritui seu diuinitati viuificatio tribuatur: propterea caro Christi siue humanitas, eam aliisq; vitam communicat, à Deitate necessariò participat, tanquam perenni omnis vitæ fonte. Ioh. 6. 63.

## CVIII. & CIX.

*Quomodo mors vitæ causa; & mors mortis esse potest?*

### SOLVTIO.

Mors seruatoris nostri Iesu Christi, à Deitatis dignitate æstimata; nobis æternam peperit ac beatam vitam. Illa fecit, vt quando morte temporali morimur, non tam moriamur; quam oriamur iuxta illud: I. Ioh. 1. 6

*Mors, vanæ vitæ finis; origo bonæ.*

Eadem quoque mors Christi mortis mors est seu destructio, quandoquidem, juxta Prophetæ vaticinium, omnem ei priorem ademit potestatem. Hinc nimirum ortum habet peruulgatum illud: II. Hos. 13. 14

*Mors moritur, mortẽ mortua vitâ vorat*
*Mors mortis morti mortem nisi morte dedisset*
*Æternæ vitæ ianua clausa foret --*

## CX.

*An persona quadam ante omnes benedicta; nihilominus tamen maledictio esse potest?*

SOLVTIO.

Quatenus Christus in se consideratus, perfectâ erat præditus justitiâ: Eatenus ipsa fuit benedictionis cujusuis scaturigo. At verò quando sustinebat nostrorũ onus peccatorum; factus pro nobis maledictio legitur, atq; in signum maledictionis ad crucem destinatus.

*Luc.* 1.
*Gal.* 3. 13.

## CXI.

*An temporales pœnæ sufficiunt, vt à tormentis inferni sempiternis omnes electos immunes reddant?*

SOLVTIO.

Quoniam ea erat personæ Christi dignitas; vt passus fuerit ipse Dei filius; propterea pœnæ Christi temporales pœnis æternis merentur adæquaquari. Tantò enim majus est, Christum ad momentum, quàm omnes Angelos atq; homines perpetuò esse passos: Quantò excellentius nomen præ illis est sortitus. *Heb.* 9. 1.

*ph.* 1.
*hil.* 2.

## CXII.

*Quomodo quotidiè Christus crucifigitur: cum*

*cùm semel tantum potuerit crucifigi?*

SOLUTIO.

Christus realiter atque actualiter semel tantum crucifigi potuit. Quotidiè autem etiam nunc modo quadruplici crucifigitur.

Verbo nimirum prædicato:
Verbo per Sacram Cœnam obsignato.
Verbo per veram fidem credito.
Blasphemâ denique Apostatarum linguâ. *Heb.6.*

CXIII.

*Quomodo est Christus agnus Dei, tùm ab initio mundi, imò antè mundum; tum in plenitudine temporis mactatus est?*

SOLUTIO.

Christus Agnus ille Dei mactatus est

Actualiter quidem Hierosolymis, in squalidâ mundi hujus senectâ.

Quà promissiones autem, & efficaciam ipsius passionis, sub mundi initium.

Paterni deniq; ratione consilii, antè jacta mundi fundamenta.

CXIV.

*Quomodo persona quadam, cùm tota non*

*esset Deus, vno tamen eodemque momento, in cœlis fuit, in terrâ atque inferno?*

SOLVTIO.

Christus θεάνθρωπος, quando in cruce pendens, cum irâ Dei ardente luctabatur: quà animam erat in inferno,
Matt. 26. quà corpus in terris, quà Deitatem in cœlis constitutus.

CXV.

*Quis hostes suos legitur plusquam seipsum dilexisse?*

SOLVTIO.

Christus amore adeò intento inimicos suos est complexus, vt fieri voluerit pro iis maledictio; eorumq; vi-
Rom. 58. tæ ac saluti, vitam propriam postposuerit.

CXVI.

*Cujusnam hominis sepultum cadauer, corrumpi non potuit, siue putrefieri?*

SOLVTIO.

Defuncti Christi corpus, licet per triduum fuerit sepulchro inclusum; veruntamen modo quodam extraor-
Ps. 16. 10. dinario, à corruptione fuit præseruatū.

CXVII.

*Quo sensu dicitur Christus ipso resurrectionis die à Patre suo genitus, cùm antè inchoa-*

*inchoatam mundi huius fabricam, à Deo patre legatur procreatus?*

SOLVTIO.

Productus quidem fuit Christus ante mundi constitutionem, imò ab æterno. Quod verò resorrectionis die dicatur esse genitus, illud propterea fit, quod eo die gloriosè resurgendo, seipsum Dei filium potenter declarârit: quandoquidem adeó multi ad Christum sunt adducti, postquam à mortuis resurrexerat: vt ipse modò genitus tunc temporis videretur.

*Rom. 1. 5.*

*Act. 13.33.*

CXVIII.

*An vnquam vsuuenit, vt condemnatio absolutionis, ignominia gloriæ, & vincula fuerint causa libertatis?*

SOLVTIO.

Iesus injustè pro nobis vinctus, contemtus & condemnatus, omnia tamen patienter tulit: & hâc ratione absolutionem nobis, gloriam, ac libertatem contulit.

CXIX.

*Si Christi mors & passio nihil nobis profuisset, nisi à mortuis Christus reuixisset: quî fieri potest igitur, vt maior ad nos*

*fructus ex ipsius morte, quàm vitâ redundauerit.*

SOLVTIO.

Plus est cũ hoste reconciliari; quàm personæ faueri jam reconciliatæ. Quoniam igitur Christus per mortem quidem illud: istud verò per resurrectionem seu vitam acquisiuit, propterea
Rom. 5.9. 10. etiam mors illa Christi plus nobis dicitur quàm vita profuisse.

CXX.

*Ecquis in cœlum assumptus terram non reliquit, nec cœlum deseruit in terram hanc demissus?*

SOLVTIO.

Quanquam in cœlum adscendit Christus humanitatis ratione: diuina tamen ipsius natura, quæ omnia implet, è terrâ non discessit. Eâdem ratione Christus assumptâ quidem hominis naturâ in terram hanc descendit: Nec cœlum tamen quà Deus dereliquit.

CXXI.

*Quomodo potest à cœlo ille capi, quem nequeunt cœli cœlorum continére?*

SOLVTIO.

Christus localiter quidem, qua homo,

mo, propter naturales, quas habet dimensiones, cœlo continetur: At verò quà immensus & infinitus Deus à cœlis cœlorum capi non potest.

CXXII.

*Ecquis ad Dei dextram sedet, cùm sit ipse Deus.*

SOLVTIO.

Iesus Christus cùm sit verè Deus, dicitur nihilominus, quà homo seu mediator ad dextrã Dei gloriosè considére. *Heb.1.3.*

CXXIII.

*Quodnam est nomen suprà omne nomen?*

SOLVTIO.

Christus in exaltationis statu quatenus suprà omnem principatum & potestatem constitutus dicitur. *Eph.*1.21. eatenus nomen obtinuit istiusmodi, quod omni præstet creaturarum nomini.

CXXIV.

*Ecquis cùm procul à nobis absit, magis tamen nobis adest, quàm aderat eo tempore, quando præsens esset?*

SOLVTIO.

Mediator noster Christus, cùm humanitatis ratione in cœlum sit assumptus; adeóque absens ab Ecclesiâ, ei-

dem tamen magis nunc adeſt, Deitatis
Ioh.16.7. & Maieſtatis reſpectu gratiæ item ac
ſpiritûs, quàm cùm apud illam, in terris verſabatur.

CXXV.

*Quidnam Eccleſiæ tunc eſt impartitum, cùm illud iam haberet?*

SOLVTIO.

Eccleſia quidem eo ipſo tempore, quo in his terris degebat Chriſtus, exi-
Ioh. 7.39. guis inſtructa erat Spiritûs Sancti donis: Chriſto autem in cælum aſſumpto; tum demùm Eccleſiæ extraordinariè ac viſibiliter communicatus eſt

Act. 2.2.3. *Tùm* (inquam) *fuit effuſus rapido cum turbine Sanctus*
*Spiritus, ac viſus flammantis imagine linguæ.*

CXXVI.

*An licet quenquam inuocare, qui ipſemet olim inuocauit?*

SOLVTIO.

Tametſi Chriſtus quà homo ſeu creatura, in diebus infirmitatis ſuę, pa-
Heb.5. trem legatur orauiſſe: A nobis tamen quatenus mediator, & quatenus Deus inuocari debet.

Quo-

CXXVII.

*Quomodo perueniunt fideles ad salutem, cum semel impetratâ delictorum remissione, in alia statim peccata prolabantur?*

SOLVTIO.

Solâ intercessione Aduocati nostri, qui est Iesus Christus, quotidianam obtinemus resipiscendo gratiam, & peccatorum eorum remissionem, quæ ex humanâ oriuntur infirmitate. *2. Ioh. 2. 3.*

CXXVIII.

*Cùm regnum Christi non sit de hoc mundo, quanam est igitur ratio, quod ipse pro arbitrio disponat de vniuersis huius mundi regnis.*

SOLVTIO.

Adeò latè patet imperiũ illud Christi, quod quatenus Deus vsurpare solet, vt ad omnia etiam hujus mundi regna reuerâ sese extendat. At veró quatenus mediator, eatenus spirituale regnum atq; ejusmodi habet, quo conscientiis hominum, in iis quæ cœlestia ac spiritualia spectant dicatur imperare. Atque hoc quidem regnum simpliciter administrat, absque vllâ externâ seu pompâ, seu violentiâ. *Dan. 2. 21.* *Ioh. 18. 36.* *2. Cor. 10. 3. 4. 5.*

CXXIX. *Quo-*

## CXXIX.

*Quomodo extremo resurrectionis die Christus patri suo regnum est traditurus, cùm illud tamen ipsius regnum finem nullum sortiatur?*

SOLVTIO.

Christi quidem regnum omni fine caret, ratione fructuum siue effectuū, qui sunt Majestas Christi gloriosa, beatitudo electorum, & hostium denique destructio sempiterna. At ille verò administrandi modus, & illa gubernandi ratio, quâ Christus modò in his terris vtitur, illa, inquam tunc temporis finietur, vt Deus sit in omnibus omnia.
1. Cor. 15. 24. Neque enim Ecclesiam Christus, vt nunc fit, gubernâbit,

Quatenus propheta, per verbum ac Sacramenta:

Quatenus Sacerdos per intercessionem,

Et quà rex denique per clauium potestatem.

## CXXX.

*An verbum Deus esse potest, & non esse Deus?*

SOLVTIO.

Imò potest. Cùm enim duplex in Scripturâ verbum nobis proponatur, sub-

ſubſtantiale vnum, atque increâtum: alterum creatum atque inſpiratum; Illud quidem verbum, (Apoſtolo teſte) Deus, iſtud verò Dei verbum meretur appellari. *Ioh. 1. 1.*

CXXXI. & CXXXII.

*Quæ impotentia adeò potens eſt, vt omne robur potentiâ ſuperet?*

*Et quæ dementia adeò ſapiens, vt ſapientiam quamuis antecellat?*

SOLVTIO VTRIVSQVE.

Tametſi verbi diuini prædicatio hominibus vanis & profanis, ſtultitia & infirmitas eſſe videatur: Illa tamen in electis ad fidem adducendis tantâ vi pollet, tantâq; ſapientiâ, vt omni anteeat hujus mundi, tàm ſapientiæ quàm potentiæ. *1. Cor. 1. 25.*

CXXXIII.

*An quidquam homini alicui cognitum, eidem tamen myſterium eſſe poteſt?*

SOLVTIO.

Imò verò. Etenim Euangelium ſecretum eſt myſterium nō homini tantum ignoranti: verùm habenti etiam illius cognitionem. Vidére enim noſtrum nonniſi fit per ſpeculū, noſtrum cognoſcere tantùm fit ex parte, & noſtrum ſcire eſt ſciendi vmbra. *1. Cor. 13. 12.* *Scire enim ex græco σκιᾶ deriuant.*

CXXXIV. Quo-

## CXXXIV.

*Quomodo myſteria Dei non ſunt indaganda, cùm obligatione diuinâ teneamur, vt ab illorum contemplatione nullo nos vnquam tempore, aut otio abſtrahi, aut voluptate auocarì, aut vllis denique occupationibus patiamur retardari?*

### Solutio.

Noſtro quidem muneri officioq́ue conuenit, Sacras ſcrutari diligenter literas, cùm id à Chriſto mandati habeamus. Sic enim contenta in iis myſteria, quæ ad ſalutem nota eſſe debent, ea, inquam, reuelatione Spiritûs legentibus patefient. Impium eſt autem atque temerarium, in illa arcana penetrare velle, quæ ſibi ſoli Deus reſeruauit. Breuius reſpondetur, quod omnia Dei myſteria ſtudioſè inquirenda; at verò in myſteria Dei non ſit irrumpendum.

*Ioh. 5. 39.* *Deut 29.*

## CXXXV.

*Quæ res occidit antequam viuificet?*

### Solutio.

Occidit quidem verbum Dei, legis miniſterio, dum peccatorum parit pœnarumq́ue cognitionem: Idem autem verbũ Euangelij miniſterio, quatenus pecca-

*Rom. 7. 8. 9.*

peccatorum remissionem promittit, affertque Christi noticiam salutarem; eatenus afflictos recreat & vi quasi viuificat, secundum illud Esa. 61.2.3.4.

*Gratia viuificat quos lex occidit iniquos.*

## CXXXVI. & CXXXVII.

Quî fieri potest.

1. *Vt viuum oraculum sit litera quædam mortua?*
2. *Vt res mortua sit acutior, quam est gladi⁹ anceps?*

### SOLVTIO VTRIVSQVE.

Quatenus verbi considerantur, author, finis, & natura; eatenus viuum Dei oraculum meretur appellari. Sed idem verbum est litera quædam mortua, si operatione diuinâ destituatur, & efficaci per Spiritum conuersione. Cum quâ si coniungatur, ancipitem gladium acumine superat, & ad ima cordis, Apostolo teste, penetrat.

## CXXXVIII.

*Quomodo scriptura ante Ecclesiam, & ante scripturam extitit Ecclesia?*

### SOLVTIO.

Scriptura quidem materiæ, hoc est, doctrinæ ratione prior est Ecclesia, cum illa immortale quasi semen

fuerit

1. Pet. 1. 23. fuerit ex quo Ecclesia ortum suum traxit. Formæ verò respectu, quatenus
1. Pet. 2. 2. verbum Dei chartis est impressum, certo litterarum ac syllabarum ordine: Eatenus Ecclesia fuit antequam scriptura, quæ demum tempore Mosis legitur adinuenta.

## CXXXIX.

*Quomodo verbum Dei perpetuò permanebit, cùm prophetiæ finem sint habituræ?*

### SOLVTIO.

Verbi quidem diuini veritas in minis & promissis perpetuò immutabilis consistet. At verbi verò propagandi modus, per Prophetiam, linguas, atramentum, & literas &c. ille, inquam modus olim est desiturus.

## CXL.

*Quo sensu Christus cùm sit pacis princeps & pacis etiam Euangelium habeat; contentionem dicitur & bellum attulisse?*

### SOLVTIO.

Quatenus Euangelium cum Deo pacem offert, quatenus ad pacem mutuam persuadet, & quatenus pacem in nobis operatur: Eatenus Christum autorem representat, eumq; ostendit pacis esse principem. Quod verò

lic, vbi prædicatur, contentiones, hæreses, ac schismata oriantur, illud non Euangelio pacis; sed corruptæ potius naturæ hominum, malitiosè illi resistentium, assignari debet. *Matt. 10. Eph. 6.*

CXLI.

*Cùm lex ejusmodi affectiones causet, quæ cum peccato sunt conjuncta, cur sancta igitur & spiritualis dicitur?*

SOLVTIO.

Lex quidem bona est & sancta, quatenus peccatum propriè non efficit; sed * detegit potius atque * condemnat. Peccatum autem, (arreptâ per legem occasione) cupiditates prauas in nobis operatur, àdeò, vt per legis prohibitionem magis etiam irritemur, & interdicta vitia frequentius perpetremus. Secundum illud *lex speculũ & spiculum* *Rom. 7.7.8. 14.*

*Nitimur in vetitum* ---

CXLII.

*Cur lex æternam pollicetur vitam, cùm nemo possit per eam justificari?*

SOLVTIO.

Cùm nemo hominum ijs satisfaciat, quæ in diuinâ lege ab eo flagitantur, propterea fieri nequit, vt coràm Deo per legem justificemur. At dum lex postulat *Rom. 8.3. Gal. 3.*

ſtulat perfectam obedientiam, non quid poſſimus, vult oſtendere; ſed quidnam poſſe deberemus.

CXLIII.

*Si lex eſt æquè atque Euangelium verbum Dei & verbum vitæ; quænam eſt igitur ratio, quod non per legem juſtificemur, ſed per Euangelium?*

SOLVTIO.

Quoniam Euangelium ſalutem pollicetur, ſub conditione fidei, & credēdi ſimul potentiam largitur. Lex autem vitam operibus promittit, ſed habilitatem nullam ſuppeditat: Hæc morbum videt, curationem negligit: Illud vulnus ſanat, remediumque applicat.

*Rom. 1. 16.*

CXLIV.

*Quænam res manet, poſtquam tranſiit?*

SOLVTIO.

Lex ceremonialis quà vmbra tranſiit, ſed quatenus corpus, (quod eſt Christus) manſit.

CXLV.

*Cùm noſtra fides non ſit abſolutior, quàm noſtra legis opera, quinam ſit igitur, quod non ab operibus legis, ſed fide Euangelij, noſtra pendeat juſtificatio?*

SOLV-

SOLVTIO.

Istius rei hæc est ratio. Quoniã lex operibus vitam quidem tribuit, sed (ꝙ hominibus impossibile,) nonnisi perfectè præstitis. Euangelium autem veræ in Christum fidei tametsi imperfectæ, salutem pollicetur.

## CXLVI.

*Quomodo peccatum ab eo committitur, qui talia facit, qualia lex pracipit?*

SOLVTIO.

Primùm quidem; si homo vel in modo, vel in fine peccet. In modo, si quid faciat amore destitutus: In fine, si non dirigat ad nominis Dei gloriam. Deinde etiam mandatum lege opus eatenus est peccatum, quatenus non fit ex cognitione, sed ex ignorantiâ.

## CXLVII.

*At quâ ratione à nobis non peccatur, dum facimus ea, qua lex interdicit?*

SOLVTIO.

1. Si id mandatum requirat speciale, absque quo generalibus semper est obsequendum. Sic non peccauit Abrahamus cupiendo filium immolare, Nec Israelitæ aliena

*Gen.* 25.
*Exod.* 12.

aliena auferendo.

2. Si durum telum, Necessitas impellat. Tum enim absque peccato lex ceremonialis violari potest. Ita Dauid per necessitatem panes comêdit propositionis: Ita discipuli spicas vellicârunt; & ita denique Christus atq; Apostoli ægrotos homines sabbatho sanauêrunt. Lex enim ceremonialis charitatis legi cedit, & misericordiam Deus potiorem ducit, quàm quoddam
Hosea. 6.6. sacrificium.

CXLVIII.

*Si lex est iugum portatu difficile, imò iugum intollerabile, cur igitur mandata Dei dicuntur esse leuia?*

SOLVTIO.

Mandata Dei regeneratis leuia & lenia: Non renouatis videntur difficilia. Perfecta autem legis obseruatio, vtrique parti est jugum intollerabile.
Act. 15.10.

CXLIX.

*Curnam præcipitur in lege fides, cùm fides tamen pars sit Euangelij?*

SOLVTIO.

Præcipitur fides quà opus siue actio in primo statim mandato Decalogi, in

qu

quo verbis Dei credere jubemur, & ipsi soli per fidem adhærescere. At quatenus fides proprietatem habet, Iesum Christum apprehendendi, cum vniuersis meritis: Eatenus etiam non est pars legis, sed pars Euangelii. Nam fidem generaliter lex à nobis flagitat: Euangelium autem specialiter, solam in Christum fidem desiderat.

Gal. 3.12. & Rom. 1.16. 17.

## CL.

*Quæ causa est aut ratio, quod Euangelium tantùm dicatur, Spiritûs ministerium, cùm tàm per legem, quàm per Euangelium, efficax sit in operando?*

### SOLVTIO.

Cùm metûs ac timoris spiritus sit indiuiduus legis comes: at Euangeliū sit conjunctum cum nobilissimis Spiritûs effectibus, regeneratione sc: atq; adoptione; propterea etiam Euangelium κατ' ἐξοχὴν dicitur Spiritûs Sancti ministerium.

## CLI.

*Cùm lex sit mortis ministerium, quo igitur sensu dicitur ad vitam ordinata?*

### SOLVTIO.

Deus ad vitam legem ordinauit eique vitæ promissionem addidit. Accidenta-

dentaliter verò, Protoplastorum cul-
Rom. 7. 9. 10. pâ in ministerium mortis versa est ac mutata.

## CLII.

*Quænam res viuit cùm mortua videatur?*

SOLVTIO.

Euangelium suâ naturâ viuum & est efficax, licet reprobatorum conscientiis applicatum, nullam vim habeat, neque efficaciam.

## CLIII.

*Quodnam est illud speculum, quod potestatem tantam habet, vt in eandem ab eo imaginem, Speculatores transformentur?*

SOLVTIO.

Speculum istud est Iesus Christus, per Euangelium Electis reuelatus, qui in eandem eos quam ipse habet sancti-
2. Cor. 3. 18. tatis imaginẽ efficaciter transformat.

## CLIV. & CLV.

Quî fieri potest:
1. *Vt idem succus saporem duplicem tùm dulcem habeat ac conducentẽ; tùm exitialem & amarum?*
2. *Vt idem verbum molliendi & indurandi facultatem habeat?*

SOLV-

SOLVTIO VTRIVSQVE.

Doctrina Euangelii electis quidem dulcis: at reprobatis succus est amar⁹. Illorum enim animos propter peccata seriò contritos, salutariter vngit: istorum autem mentes mortifero pungit pœnarum æternarum sensu. Hos induratos in corruptione reddit: † Illorum verò non secus quā à solis radiis ceram quidem emolliri: at lutum verò indurari constat. Vna enim & eadem causa, ratione diuersorum objectorū, habére potest effectûs diuersos; imò & contrarios, secundum illum, *Emollit mores nec sinit esse feros.* *2. Cor. 2. 15.*

*Electis Christus scopus est scopulusq; rejectis.*

Sol contraria efficit.

1. *Terram arefacit: & nubes quibus terra rigetur attrahit.*
2. *Radijs suis Æthiopem perurit ad nigredinem: alijs albedinem inducit.*
3. *Solis virtute marcescunt herbæ: alia maturescunt.*

CLVI.

*Quæ res eodē tempore & semē est & panis?*

SOLVTIO.

Doctrina Euangelij est immortale semen ex quo Electi primū procreātur.

1. Pet. 1. 23. & 1. Pet. 2. ℣. 2. Posteà autem instar panis, eos in Christo nutrit & educat.

CLVII.

*Quomodo defectus panis ibi esse potest, vbi est magna panis & frugum abundantia?*

SOLVTIO.

Istud in ijs etiam contingit regionibus, in quibus quidem soli est fertilitas: at verbi verò diuini calamitas. Tametsi enim illi homines panis corporalis copiâ terrenam vitam sustentare possint: Spirituali tamen alimento deficiente, de vitâ illâ cœlesti periclitantur.

CLVIII.

*Quonam id modo accidit, vt, (cùm duo quidam corrupta natura, vno eodemque tempore concionem audiunt, eorum vnus doctrinam amplectatur; at alter verò amplecti recuset?*

SOLVTIO.

Illud propterea fit, quod vnus eorum ad vitam ordinatus, at alter fuerit ab æterno, à Deo repudiatus. Illi igitur impertitur fides, ceu necessarium ad vitam medium: iste verò relinquitur in naturali carnis corruptione.

Act. 13. 48. Ioh. 10. 26.

Q

## CLIX.

*Quomodo mulieri in Ecclesia orare licet atque prophetare: cùm omnis tamen ibi sermo, per Sacras literas ei adimatur?*
1. Cor. 14. 34.

### SOLVTIO.

Mulieri licet in Ecclesiâ orare iuxtà atque prophetare, cùm membrum sit Ecclesiæ: Sed ita tamen vt illa prophetandi & orandi actio priuata sit non publica: Mulierem enim velle fungi publici alicujus Doctoris officio, illud ceu inconueniens Scriptura interdicit. 1. *Tim*. 2. 9. & 1. *Cor*. 11. 5.

## CLX.

*Quî fieri potest, vt absque vllâ madefactione graminis, herbarum atque arborum &c. fœcundus imber largiter effundatur?*

### SOLVTIO.

Verbi doctrina instar cœlestis pluuiæ, fidelium corda rigans & humectans, eos ad fructûs copiosè producendos, aptos reddit atque idoneos. Hæc inquam verbi Pluuia, *Esa*. 5. 6. & *Deut*. 32. 2. & *Heb*. 6. 7.

*Pinguis vt est tellus quando perfunditur imbre:*
*Sic facit electos dulces producere fructûs.*

## CLXI.

*Quomodo ſemen fructûs profert, eo quo ſeritur, die, vt diu tamen maneat infrugiferum?*

SOLVTIO.

*De Iudæis vide Act. 2, 37. De Lydiâ vide Act. 16. ℣. 14.*

Verbi diuini ſemen, in aliis quidem hominum cordibus, tanquam terrâ pingui & fertili, amœnos profert mature fructûs; vt in Iudæis, & in Lydiâ. in alijs autem ceu terrâ lapidosâ, occultatum diu & quaſi mortuum jacet, vſquequò erumpat.

## CLXII.

*Cùm non ſint plura vno teſtamenta, an perperam igitur duo ſtatuuntur?*

SOLVTIO.

*† Alius. Lex eſt Evangeliũ prædictũ: Evangeliũ eſt lex completa.*

Nullomodo. Etenim cùm ſit ſalutis vna tantùm, per Chriſtum ſc. via, & vna fides, veluti conditio: Propterea etiã vnũ eſt Teſtamentũ. Propter diuerſos autem diſpenſandi modos, diuerſa etiam creduntur Teſtamenta. Quorum aliud Iudæis per Moſen communicatum, multas obſcuras Ceremonias, ritûſq; continebat: aliud per CHRISTVM traditum, pauca Sacra-

menta

*Vetus Teſtamentum eſt inſtar Lunæ, N. T. inſtar ſolis, quod Vetus illuſtrat.*

menta & clara complectitur. Et
In veteri nouũ latet } Testamentum
In nouo vetus patet }.

CLXIII.

*Si mortem obijt Abrahamus, Christo nondum incarnato, quænam est igitur ratio, quod Christi diem dicatur conspexisse?*

SOLVTIO.

Cùm fides sit ὑπόστασις eorum quæ sperantur, & ἔλεγχος eorum, quæ non videntur: Propterea etiam Abrahamus hoc perspicaci fidei oculo in Christum tanquam præsentem est intuitus.

CLXIV.

*Si Euangelij prædicatio, diuina est ad salutem potentia: Annon sunt igitur antiqui patres, cùm Euangelium non habuerint, salutem consecuti?*

SOLVTIO.

Tametsi Patres destituti fuerint Historicâ illâ narratione, de vitâ & passione Christi: Promissiones tamen habuerunt Christum concernentes, & ad salutem ipsorum sufficientes.

*Gal. 3. 8. Act. 15. 11. Deus prædicauit Abrahamo Euangelium.*

CLXV.

*Quinam eodem tempore officium patrûm & nutriciorum præstant?*

SOLVTIO.

Ministri Dei tanquam patres, spiritualiter, per verbi semen, Deo gignunt liberos, & ceu nutricij quoscunq; procreârunt, magnâ cum sapientiâ, diligentiâ ac patientiâ, alunt & sustentant.

1.Cor. 14.15.

1.Thes.2.2.

CLXVI.

*Quinam peccatis contaminati homines, alios nihilominus adducunt ad salutem?*

SOLVTIO.

Fideles verbi ministri erroribus & humanis lapsibus etiam sunt obnoxii: At ijs Deus, tanquam instrumentis, in electorum vocatione ac saluatione vtitur. Hinc videlicet ortum trahit illa loquendi formula, Sacræ Scripturæ adeò vsitata, quâ Deo proprium saluandi opus, ministris tanquam instrumentis solet assignari.

Tim. 4.16.
Obedi: 21.

CLXVII.

*Quinam meliora serunt quàm metant?*

SOLVTIO.

Verbi ministri carnalia metunt, & citò transitura: serunt autem spiritualia perpetuò permansura.

1. Cor.9.11.

CLXVIII.

*Quomodo quis potest eiusdem domûs & ædifi-*

*ædificator & fundamentum esse?*

SOLVTIO.

Prophetæ atque Apostoli, officij sui seu operis respectu principales erant Ecclesiæ fundatores, quæ est domus Dei. Dicuntur autem fundamentum doctrinæ ratione, per quam Electi, tanquam viui lapides, super solum Christum seu verum fundamentum, & angularem domûs lapidem extruuntur. *Eph. 2. 20.*

CLXIX.

*Quinam sunt sponsi familiares, & parentes sponsæ?*

SOLVTIO.

Prophetæ. Qui cùm sint sponsi seu Christi familiares, sunt tamen patres sponsæ, seu Ecclesiæ.

CLXX.

*Quisnam Prophetis iure præponendus; at omnibus verò ministris Euangelij postponendus est?*

SOLVTIO.

Iohannes Baptista, ille Christi prodromus, cum sit Prophetis, quà doctrinam major: omnibus tamen fidelibus noui Testamenti ministris minor est dicendus. Nam licet Christum digito ostenderit, quod impossibile prophetis fuerat: Nequidquam tamen, vt

Euangelij ministri, de Christi morte & resurrectione recensére potuit.

CLXXI.

*Quis verbi fuit diuini minister, vt neque fuerit Testamenti Veteris, nec minister Noui?*

SOLVTIO.

Idem ille præcursor Christi, cū medium quasi locum occupauerit, inter prophetas atque Apostolos: propterea nec referri potest in ministrorum illorum numerum, qui ante Christum manifestatum, nec inter eos, qui verbum Dei prædicârunt, post rerum omnium restaurationem.

CLXXII.

*Quinam cùm serui Christi fuerint, amici eius leguntur appellati?*

SOLVTIO.

Apostoli quidem qua munus & officium, verbi videlicet dispensationem
Rom. 1. 1. Christi erāt ministri: ob conuersationē verò perquàm familiarem, nō serui, sed
Ioh. 18. 15. amici ab eo nuncupantur.

CLXXIV.

*Quos mihi homines nominare poteris, qui absque militum manu, externâ fortitudine armorum apparatu, & vsu vinculorū, vniuersam regi suo terram subiectā reddiderunt?*

SOLV-

SOLVTIO.

Iidem Apoſtoli in regibus & nationibus jugo Chriſti ſubigendis, nulla leguntur adhibuiſſe media, prætérquàm verbi viuam prædicationē; gladiū illū ancipitem; fidelem precationem; conſtantem patientiam. *Midianitas tuba & facibus, ita hi Vicerunt omnes gentes tubâ Euangelij & luce verbi diuini.*

CLXXV.

*Quinam Apoſtolis ſuccedentes eorum tamen non ſunt ſucceſſores?*

SOLVTIO.

Succedunt Apoſtolis Paſtores & Doctores 1.

1. In verbo Dei prædicando.
2. In Sacramentis adminiſtrandis.
3. In diſciplinâ Eccleſię cōſeruādâ.

At verò ijs non ſuccedunt:

1. Quà vocationis ſuæ modum.
2. Quà autoritatem oēs inſtruēdi.
3. Quà dona quædā extraordinaria.
4. Quà priuilegium denique quod in doctrinâ errare nō potuerint.

Papa & Cardinales ſuccedunt Petro nomine: re autem non ſuccedunt. 2.

CLXXVI.

*Quâ ratione ædificij lapis ejuſdem poteſt fabricator eſſe?*

SOLVTIO.

Fid⁹ miniſter verbi, quaten⁹ Chriſtian⁹: eatenus Spiritualis domûs viu⁹

1. Pet. 2. 5. est quidam lapis: At quatenus verbi
Eph. 4. 12. diuini pręco, eatenus est tàm suiipsius, quàm aliorum ædificator.

CLXXVII. CLXXVIII. CLXXIX. CLXXX.

Quî fieri potest:

1. *Vt quis eodem tempore & extruat & destruat?*
2. *Vt alios quidem suâ doctrinâ; seipsum autem non instruat?*
3. *Vt totus crassis circumfusus tenebris; alijs tamen lucem præbeat?*
4. *Vt serat quidem semen; nec fructûs metat à semine productos?*

SOLVTIO QVATVOR Ænigmatum.

Quotquot ita viuunt ministrorum verbi, vt vita eorum doctrinæ non re-
1. spondeat: illi commissum gregem ma-
† *conuertũt* gis peruertunt atq; oppugnant, quàm
*propugnant.* defendant, † & plures vitâ destruunt quàm extruant doctrinâ. Illi quam docent alios, doctrinam non recipiunt, sed impietatis pleni, (quæ est caligo
2. spiritualis,) in auditoribus non in se-
3. ipsis lumen accendunt. Illi denique se-
4. mentum serunt, quod cum in aliis fructus edat, in ipsis verò nullos; propterea nulla messis ijs est expectanda.

CLXXXI.

*Quisnam ouinam simplicitatem simulans, lupinam tamen conditionem habet?*

SOLVTIO.

Pseudopropheta qui simplex apparet: simplicitatę caret, & cujus natura verè lupina, ouinâ tamen pelle tecta, ex venenosa ipsius doctrinâ eminet atque apparet.

CLXXXII.

*Quomodo eorum verbi ministrorum, quorum sedulitas par est in officio, vnus quidem ouium pastor: at alter mercenarius conductus esse potest?*

SOLVTIO.

Si vnus illorum impuri quæstus ac turpis lucri gratiâ: at alter verò ex amore Dei, & dilectione proximi, in obeundo munere se præstet diligentem.

CLXXXIII.

*Cùm ergà quosuis homines nostros, etiam inimicos φιλάνθρωποι esse iubeamur: quo igitur sensu nobis interdicitur, ne ad nonnullos vel AVE pronunciemus?* *2. Ioh. Epist. vers. 10.*

SOLVTIO.

Externa nostra conuersatio cum

omnibus hominibus, imò priuatis etiã inimicis, fraterna esse debet: At cum Pseudoprophetis publicis Christi atque Ecclesiæ hostibus, qui falsam doctrinam, ceu animarum quoddam virus, hominibus propinant: cum ijs inquam nobis intercluditur omnis colloquendi aut conuersandi aditus.

CLXXXIV.

*Quinam sub Christi & Ecclesiæ prætextu, Ecclesiam vastant atque euertunt, doctrinam veram auersantur, ipsique Christo acerrimè aduersantur?*

SOLVTIO.

Papa Romanus cum illâ scelestâ Prælatorum, (*Pilatorum*) Cardinalium, (*Carnalium*) Iesuitarum (*Esauitarum*) & Monachorum (*Onagerum*) Catholicorum (*Cacolycorum*) deniq; cateruâ; hi inquam omnes reuerâ sunt

Vergil. *in Ætna.* *Infesta diuis acies, atque impius hostis.*

Cùm enim semper in ore habeant Ecclesiæ Christi nomen, & in professione de Christo glorientur: Nihilominus tamen sub religionis laruâ, Ecclesiam â Christo AVERTVNT, & ad hæreticam suam doctrinam, damnandasque superstitiones CONVERTVNT, adeóque veram Christi fidem & religionem in eâ EVERTVNT.

*Quis-*

## CLXXXV.

*Quisnam sub humilitatis figura ingenti fastu & ambitione turget?*

SOLVTIO.

Idem ille Romanus Pontifex, cùm præ se ferat tantam humilitatem, vt se seruorum seruum appellari velit. Tantus tamen - *Pectora fastus habet*; vt suprà reges semetipsũ, suprá omnes principes, & suprà omne quod Deus appel- 2. *Thes.* 2. 4.
latur, arroganter extollat.

## CLXXXVI.

*Quomodo potest vnum multa; & multa retrò vnum dici?*

SOLVTIO.

1. Vnius hominis naturale corpus ex connexione congruâ cõsistit membrorum plurimorum.

2. Cùm sit vnum tantum corpus Christi mysticum, vniuersalis videlicet Ecclesia: In multas tñ particulares Ecclesias, ceu membra, distribuitur. 1. *Cor.* 12. 12

3. Vna fidelium congregatio, multos complectitur Christianos, tanquã ejus membra: Nihilominus tamen, (cùm vno omnia fiant consensu:) vna *Act.* 5. 12.
est tantum congregatio.

## CLXXXVII.

*Quî potest vna & eadem Ecclesia visibilis*

*esse*

*esseatque inuisibilis, tùm militans, tùm triumphans?*

SOLVTIO.

Cùm sit vna tantùm Ecclesia Catholica: eodem tamen tempore, inuisibilis, respectu electorum; personarum verò ratione, visibilis dici potest. Ita Ecclesia militans vocatur, viuorum ejus membrorum ratione, quæ sæpenumero, dum hic viuunt, cum Satanâ confligunt: Triumphans autem illorum respectu, qui postquam decesserunt ex statione vitæ, quà animas suas glorificati, in cœlis jam triumphant. Nam vt inquit Bernhardus:

*libello De contemtu mundi.*

*Sunt modò prælia: postmodo præmia - &c.*

CLXXXVIII.

*Col.1.9.*

*Si Deitatis plenaria Majestas in Christo corporaliter habitat; curnam Ecclesiæ assignatur, quod sit ipsius plenitudo?*

SOLVTIO.

Tametsi Christo nihil desit, qui omnia dicitur in omnibus adimplêre. Nihilominus tamen cùm sit Ecclesiæ caput, Ecclesia verò corpus ejus Mysticum, propterea etiam absque illâ, seipsum imperfectum æstimat.

*Eph.1.2.3.*

CLXXXIX.

*Cùm turpitudinem detestandam commit-*

*tat, qui duas sorores in vxores ducit; quo igitur pacto potuit, absque peccato illud perpetrari?*

SOLVTIO.

Posteáquam Christus cum Iudæis nuptias primum contraxisset: placuit ei postmodò, Ecclesiam aliam, Iudaicę illius Ecclesiæ sororem, ex gentibus colligere: collectam diligere: dilectam denique sibimetipsi in sponsam eligere. Quâ de re Poëta ita modulatur: *Cantic. 8. 23.*

*Filius ipse DEI similis per cuncta parenti*
*Fœdere perpetuo præstanti corpore sponsam*
*Electam sibi deduxit, propriamq́ dicauit.*

CXC.

*Quænam multorum liberorum mater manére potest inculpata virgo?*

SOLVTIO.

Vera Christi Ecclesia; cùm sit multorum mater liberorum: Propter doctrinæ tamen puritatem, virgo meretur appellari.

CXCI.

*Quî fieri potest, vt Creatura aliqua, vno quo-*

*quodam eodemque tempore, sit & in cœlis, & in terrrâ & quænam illa?*

SOLVTIO.

1. Tametsi Christus, quaten⁹ homo, ad dextram patris in cælo sedeat: Nihilominus tamen est in terris, mem-
Act. 9. 5. brorum, seu fidelium ratione. Quoni *Cœtum non vnquam deseruisse volet.*

2. Vna pars Ecclesiæ in cœlis iam triumphat: altera in terris etiamnunc præliatur. vide Ænigma 187.

3. Quisque fidelium est in cœlis,
Phil. 3. 20. quà conuersationem: in terris quà personam.

CXCII.

*Quænam est illa mulier, quæ cùm sit semper in partu, infantibus tamen nunquam non lac præbet?*

SOLVTIO.

Vera Christi Ecclesia semper plures parit: Suorum autem lacte vberum, eos quos peperit, alit & sustentat.

CXCIII.

*Quænam res simul regnum, domus, ac vinea, corpus & ciuitas esse potest?*

SOLVTIO.

Ecclesia. In quâ Christus regnat tanquam in regno domo aut ciuitate: colit

colit quasi vineam, aptamq; reddit ad fructus producendos: quam denique tanq̃ corpus, diligit, seruat, & defendit. Eph. 5. 25.

CXCIV.

*Quæ mulier tales pariit liberos, qui sint ipsius matris patres?*

SOLVTIO.

Ecclesia. Fideles enim verbi ministri, cùm sint Ecclesiæ liberi: illius patres dicuntur nihilomin⁹, cùm ei PRÆSINT atque PROSINT.

CXCV.

*Quinam eodem tempore, & pugnant, & triumphant?*

SOLVTIO.

Christus ligno crucis affixus, cum irâ Dei acerrimè pugnabat; at dũ pugnaret, triumphábat, cert⁹ de victoriá. 1.

Sic etiam Stephanus protomartyr: 2.

*Fundatus virtute Dei, de morte triumphans* Fortun. l. 1.

*Excepit lapides, cui petra Christus erat.*

CXCVI. CXCVII. & CXCVIII.

Quî fieri potest:

1 *Vt qui visibili nõ sunt in Ecclesiâ, vera sint membra Ecclesiæ inuisibilis?*

2. *Vt qui in Ecclesiâ visibili locũ habent: ab inuisibili tamẽ sint diuisi?*

3. Vt

An fieri potest: 3. *Vt lupi quidem in Ecclesiâ: at extra illam oues reperiantur?*

SOLVTIO.

1. Imò potest. Etenim Dauid & Iosephus, cùm solum quondam vertere, & inter gentes cogerentur commorari: Illi inquam, tametsi extrà Ecclesiam visibilẽ constituti, nihilominus membra erant Ecclesiæ inuisibilis. Neque enim EXILIVM causa est EXITII; neque ABSENTIAM à cœtu fidelium, CARENTIA fidei comitatur. Ita injusta excommunicatio ratio nulla esse potest, cur ab Ecclesia inuisibili diuisi separemur. Nam cùm Iudæi eũ ejecerunt, cui visus fuerat per Christum re-

2. *Ioh.* 9. stitutus, tùm illi quidem, quanquam lupi visibili in Ecclesia, at verò extra inuisibilem: Ejecta autem ouis Christi, ad inuisibilem electorum cœtũ nihilominus pertinebat.

CXCIX.

*Qui potest homo quidam fidelium esse frater, si sit membrum quidem Ecclesiæ visibilis?*

SOLVTIO.

*Matt.* 18. Legitima hominis excommunicatio, eum ad tempus diuidit à reliquorum fidelium communione. Nihilominus

minus tamen, quoniam eandem nobiscum doctrinam profitetur, (licet inordinatè ac sceleratè vixerit:) idcircò etiam est à nobis pro fratre agnoscendus. 2.Thes.3.

CC. CCI.

Quodnam est illud regnum:

*In quo omnes subditi reges appellari, & in quo reges ac subditi æquales dici possunt?*

SOLVTIO.

1. In regno Christi Ecclesiastico, subjectorum quisque, tanquam regalis consors Christi dignitatis, rex est Spiritualis. 2. Deinde etiam terréni reges, fidelibus cœteris, in eodem regno non pluris æstimãtur. Nã licet in hoc mundo præ aliis emineant, eisque solis inter homines Rom.13.1.

--- *Rerum sit summa potestas*:

Veruntamen nulla προσωποληψία, nullus honorum externorum respectus in Deo reperitur. Rom.6.11

CCII.

*At quodnam regnum cùm sit in hoc mundo; non est propterea de hoc mundo?*

SOLVTIO.

Spirituale illud Christi, quod in Ecclesiam vsurpat imperium, cùm personarum

narum ratione eidem ſubjectarũ mundanum dici poſſit: Eſt tamen ſpirituale regnum, quà regem imperantem, quà finem item modumq́; gubernãdi.

CCIII.

*Cuiuſnam membra corporis tanto locorum interuallo diſtant:*

*Solis ab occaſu quàm procul ortus abeſt?*

SOLVTIO.

Eccleſiæ. Hæc enim cùm ſit corpus Chriſti: membra habet longè latèque per totum orbem diuiſa ac diſperſa.

CCIV.

*Cujuſnam membra corporis à capite ſunt diſiuncta, tantâ locorum intercapedine, quantum non eſt ſpatium inter meridiem & ſeptentrionem?*

SOLVTIO.

Chriſtus corporis Spiritualis caput, cùm ſit in cœlis ſuprà conſtitutus: mẽbra nihilominus multa habet, in hiſce terris peregrinantia.

CCV.

*Quænam eſt illa mulier, quæ Euangeliſtæ Iohannis tempore, ſeptem in montibus conſidebat, cunctisq́; terræ principibus ac regibus imperabat?*

SOLV-

SOLVTIO.

Vrbs illa ſepticollis Roma. Cui plurimæ ſunt ſubjectæ gentes ac nationes, reges juxta atque principes, quæque, propter potentiam, & latum ſuum in alios imperium Apoc. 17.18. & 9.

*Vrbs ſemper primum geſſit in orbe locum.*

CCVI.

*At quanam beſtia capitibus ſeptem, ac decem cornibus eſt inſtructa?*

SOLVTIO.

Romana Eccleſia. Cujus ſeptem capita ſeptem montes indicant: at verò decem cornua, reges decẽ ſignificant. Apoc. 17.9. 12.

CCVII.

*Quiſnam in templo Dei conſidet: cùm tamen in eo, in quo ſedet, templo, nullum ſit verum membrum veræ Dei Eccleſiæ?*

SOLVTIO.

Antichriſtus, qui ijs etiam nunc in locis regnat, vbi Deus antè hac Eccleſiam habuerat: Quæ per abominandam Idololatriam, execrandos errores, & cultum deteſtandum in obſcœnarum Harpyirarum ac Dæmoniorum carcerem verſa eſt ac mutata. Apoc. 18.2.

Quod-

CCVIII.

*Quodnam est illud forum, in quo magn vini, mellis ac lactis abundantia, absque pecunia coëmenda pro- stat?*

SOLVTIO.

Ouid l.1. met.

Publica Sanctorum congregatio in qua flumina sunt lactis, sunt flumina nectaris, Spiritûs scil: Sancti dona quæ propter eximiam eorum dulcedinem, atque insignem vtilitatem vino lacti, ac melli assimilantur. Quæ quidem dona Spiritûs Sancti, licet preciosissimo acquisita precio, ipsius scilicet filii Dei morte: à Deo gratis nihilominus obtinentur.

CCIX.

*Quas mihi oues nominare poteris, quæ nullam vnquam ouium caulam aut stabulum sunt ingressa?*

SOLVTIO.

Qui ad salutem quidem ordinati, a Christi verò communionem nondum sunt vocati: Illi, tametsi non intrârint Spirituale illud ouium repagulũ, quod appellári solet Ecclesia: Veruntamen oues dici possunt, æterni Dei decretione, qui per verbum eos atque Spiritum

ritum, in Spiritualem ouium caulam constituit conuocare.

## CCX.

*Quodnam est illud nomen, quod præter eum, qui id accipit, nulli præterea constat?*

SOLVTIO.

Nomen filij Dei, quod omnes, præter eum cui nomen id imponitur, dicuntur ignorare.

## CCXI. & CCXII.

*Qui fieri potest, vt absque vllo peccato committendo Tùm soror aliqua fratri suo nubat?*

*Tùm naturalis mater filio naturali?*

SOLVTIO.

Quæcunque mulier ea facit, quæ cum diuinâ voluntate congruunt, illa, cùm sit Christi soror: eidem tamen etiam adhæret, spiritualis matrimonij vinculo. Quod quidem adeò firmum est, vt ipsa etiam virgo Maria, sit Christo filio naturali per illud desponsata. In quam propterea versus ille congruit:

*Et soror, & conjunx, & fuit illa parens,*

## CCXIII.

*Qui potest illis matris nomen tribui, quæ nullos vnquam liberos habuérunt?*

SOLVTIO.

Omnibus Christianis veris ac sinceris, tametsi sobole destitutis, maternum nomen legitur assignari. Matth. 12.

CCXIV.

*Quî fieri potest,*

*Vt se terrenis nectant cœlestia; nec non Humanis sociët diuina; æterna caducis?* Pont.

SOLVTIO.

1. Per Spirituales illas nuptias, quas cum Ecclesiâ Christus contraxit; per eas, inquam, Christo cœlesti rerũ Domino, terrena quædam sponsa: atque ÆTERNO Deo, mortalis homo nupsit.

2. In assumptione carnis humanæ, ab ipso Dei filio.

Nota: hæ 3. coniunctiones maxime mirabiles,
1. *Deus & homo.*
2. *Mater & Virgo.*
3. *Fides & cor humanum.*

CCXV.

*Quomodo possunt mors & vita coniugio copulari?*

SOLVTIO.

1. Quotquot in Domino moriuntur morte naturali, illi cum Christo, post mortem etiam, firmiter cohærent. Nam vt inquit Ambrosius: Serm. 77.

*Illa mors cum Christo mortuum sociat,*
*& lucrum efficit morientis.*

2. Quotquot peccatis moriuntur morte spirituali, illi sunt sponsa Iesu Christi, veræ illius vitæ.

CCXVI.

*Quænam est illa Creatura, quæ sit simul in cœlis, terrisque constituta?*

SOLVTIO.

Fideles. Qui cùm in cœno & solo quà personam degant: Nihilominus tamen sunt in cœlo ac polo, idque

1. Respectu conuersationis quâ ad-spirat ad cœlum dum respi-rant, vide Ænigma 191. *Phil.* 3. 20.
2. Christi tanquam capitis.
3. & Spei denique, quâ dum hîc SPIRANT, futura SPERANT gaudia.

CCXVII.

*Quænam ex viuis Creaturis, nec Angelus est, nec vir aut fœmina, nec planta, neque bestia?*

SOLVTIO.

Creaturæ nouæ; quæ soli Deo & non sibi viuunt. 2 *Cor.* 5. 16. *Rom.* 6. 5.

CCXVIII. CCXIX. & CCXX.

Quî fieri potest:

1. *Vt is rex dici mereatur, cui nulli homines sint subiecti?*
2. *Vt is sacerdos appelletur, qui nullo sit ex ordine?*
3. *Vt is propheta denique vocetur, qui nullus verbi sit minister?*

SOLVTIO.

Verorum quisque Christianorum Rex est spiritualis, quatenus tamdiu in regno isto gratiæ cupiditatibus imperat, & affectus frænat rectâ rationis habénâ, vsquequo in regnum gloriæ à Christo transponatur.

Deinde etiam est Propheta, quatenus & semetipsum instruit; & alios suę curæ commissos.

Sacerdos denique, quatenus spiritualis loco sacrificii, omnia offert vocationis opera, Deo per Iesum Christum grata atque accepta.

CCXXI.

*Quinam sunt illi homines, qui licet vitam diuturnam viuant, in viros tamen perfectos non euadunt?*

SOLV-

SOLVTIO.

Christiani. Qui cùm sint viri quidem, annorum hujus vitæ computato numero: Nihilominus tamen in cognitione Christi, virilem, (dum hîc viuunt) ætatem non attingunt.

CCXXII.

*Qui, quaeso, cùm sint meri homines, quandam præ Angelis dignitatem obtinent?*

SOLVTIO.

Omnes sinceri Christiani, Christo per fidem incorporati, vera sunt eius membra, caro inquam de carne, & os de eius ossibus. Quo sanè respectu homines electos, suprà ipsos Angelos euectos esse constat. Quandoquidem illi qui vnum sunt cum Christo, Angelos habent sibi ministrantes.

CCXXIII.

*At quinam alijs ita seruiunt, vt sint nullius tamen serui?*

SOLVTIO.

Quisque fidelis Christianus, fraternâ ductus charitate, animo prompto ac parato omnibus inseruit. Sed ita tamen, vt propter libertatem Christianis datam, conscientiam suam, quasi

seruum, humanis traditionibus astringi non patiatur.

CCXXIV.

*Quinam, cùm non sint de hoc mundo, in eo tamen vitam agunt?*

SOLVTIO.

Filij Dei. Qui cùm versentur inter homines in hoc elementari mundo, vsque dum in cœlestem à Deo transferantur: Nihilominus tamen sunt selecti, ex infideli & immundo mundo, per efficacem Christi vocationem.

CCXXV.

*Quos esse filios arbitraris, qui absque matre sint producti?*

SOLVTIO.

Angeli. Qui non sunt per adoptionem, sed creationem Dei filij.

CCXXVI.

*Quanam res homines ita mutat, vt fiant tales, quales non erant?*

SOLVTIO.

Tanta diuinæ vocationi inest efficacia, vt electos homines, (id quod anteà non erant,) actualia Iesu Christi membra, & filios Dei reddat.

CCXXVII.

CCXXVII.

*Cùm nullam multi resipiscentiam agant, cur Christus igitur venisse dicitur, vt ad resipiscentiam vocaret peccatores?*

SOLVTIO.

Quoniam is erat aduentûs Christi finis, vt tantùm ELECTOS & conuersos, (non aũt rejectos & peruersos homines,) per gratiam suam à lapsu ERECTOS, vocationi suæ obædientes redderet.

CCXXVIII.

*Quomodo quæ sunt confunduntur ab ijs quæ non sunt?*

SOLVTIO.

Confundit Deus ea quæ sunt, per ea quæ non sunt, cùm homines ad salutem vocat qui nullo planè habentur in pretio: at verò alios reprobat ad summum dignitatis fastigium sublatos.

CCXXIX.

*Quinam in cœlum nondum positi, fruuntur nihilominus æternæ vitæ gaudiis?*

SOLVTIO.

Electorum quisque per Spiritum renouatus, & de paterno Dei, propter Christum, ergà se animo, persuasus, æternæ vitæ percipit initia.

 CCXXX.

CCXXX.

*Cùm visus semper fidem comitetur, qui fieri potest, vt absque visu fides consistat?*

SOLVTIO.

Vt fides semper est coniuncta cum visu quodam spirituali (cùm sit nostrarum animarum oculus;) Ita glorioso & immediato visu, (qualis est Angelorum) destituitur. Qui tamen visus gloriosus obscurum fidei nostræ visum, qui fit per verbum atque sacramenta, olim nobis est adempturus.

CCXXXI.

*Quomodo inuisibilia videri, & res præteritæ ac futuræ tanquam præsentes cerni possunt?*

SOLVTIO.

Per veram ac viuam fidem. Per eam enim homo, (promissionibus diuinis fidens, quasi illarum executionem videns:) cœlestem illam gloriam, quantumuis inuisibilem, conspicit. Per eam cernit quasi præsentia, tàm illa quę prę teriêrunt; quàm quæ sunt euentura.

CCXXXII.

*Quomodo quisquam dici potest & veram possidêre fidem; & eam simul amisisse?*

SOLV-

SOLVTIO.

Fidelis quiſpiam; fidei ſenſu, donisque nonnullis ad tempus orbatus; fidei tamen habitu, inſtructus eſſe poteſt. Cuius rei vt exempla quædam, ex Sacris Literis deprompta proponantur, Petrum nobis & Dauidem antè oculos collocémus. Qui cùm grauiſſimè eſſent lapſi; priorem quidem confidentiam internam cordis puritatem, & ſpirituale gaudium amisêrunt; ipſius autem donum fidei nihilominus retinuêrunt.

CCXXXIII.

*Quomodo videri poteſt id, quod videri nequit?*

SOLVTIO.

Deus, Spiritus cùm ſit inuiſibilis; conſpicitur tamen à fidelibus in verbo, ſacramentis, operibus, & Creaturis.

CCXXXIV.

*Qui poteſt credere ei aſſignari, qui fide deſtituitur?*

SOLVTIO.

Is qui interno animi affectu, peccata ſua ſeriò deplorat, certamque de remiſſione illorum fiduciam, per gratiā Spiritûs, auidè deſiderat: Ille, tametſi eâ deſtituatur fide, quæ certa & indubitata rei eſt perſuaſio: nihilominus

tamen credit in Dei misericordiam, qui feruens illud suorum desiderium pro ipso facto solet acceptare. Nam

Perfectio Christianorũ affectu constat magis quàm effectu.

*Vt desint vires; tamen est laudanda voluntas,*

Aug. *Quidquid vis & non potes factum Deus reputat.*

## CCXXXV.

*Cùm omnis mentis fluctuatio veræ fidei opponatur: qui fieri potest, vt duo hæc contraria in homine concurrant?*

SOLVTIO.

Cùm dubitatio sit fructus quidam ex incredulitatis semine progerminans: idcircò validæ fidei, (quæ non conjuncta esse potest, cum quâdam ancipiti cogitandi curâ) è diametro repugnat. Quod cùm ita sit, fieri tamen potest, vt cum infirmitate fidei dubitatio quædam intercurrat, quemadmodum exemplum Petri euidenter ostendit. Oritur ergò dubitatio, non ex fidei soliditate: sed ejus potius imbecillitate.

Matt. 14. 31.

## CCXXXVI.

*Cùm nec sitire veri fideles, neque dicantur esurire; cur iis fames præcipitur ac sitis spiritualis?*

SOLV-

SOLVTIO.

Cùm in fidelibus Christianis diuinarum rerum per fidem apprehensio, earundemque comprehensio valdè sit infirma: (vtpote quæ tentationibus, vt & peccatis impediatur:) propterea etiam in iis esse debet edendi quidam ardor & sitis inexplebilis: hoc est, desiderium & appetitus fidei magis perfectæ atque absolutæ. Quoniam verò fideles in solo Christo reperiunt, ceu in tutissimo quodam portu, sufficientem animarum requiem: propterea nulla siti amplius dicuntur laborare. In Christo enim solo acquiescunt: solatium aliud non requirunt. *Ioh. 6. 35.*

CCXXXVII.

*Cùm simus de salute nostrâ per fidem certi, ac persuasi: cur cum timore ac tremore quodam, eam iubemur operari?*

SOLVTIO.

Vt filius patrem veretur, ac reueretur, de cuius tamen amore fideli, & animo ergà se paterno non dubitat: Ita, tametsi filii Dei de salute suâ planè ac plenè sint persuasi, si infinitam Dei bonitatem, constantem veritatē, immen-

ſam denique poteſtatem perpendant:
Nihilominus tamen, dum ſuæ natur[æ]
debilitatem, & turpem aliorum lapſu[m]
Phil. 2.12. conſiderant, cum tremore quodam ca-
uêre ſibi debent, ne P[a]trem ſuum cœ-
leſtem offendant. Vt ſeriò monet Au-
Hieron. guſtinus dum inquit: *Sit caſus ma-*
*Aliorũ vul-* *iorum Tremor minorum.* Id quod Poë-
*nus noſtra ſit* ta ita expreſſit:
*cautio.*

*Incutiant aliena tibi peccata timorem.*

CCXXXVIII.

Eph. 4.5. *Cùm ſit vna tantùm, (Scripturâ teſte,) fi-*
*des: Quonam eſt igitur intelligendum ſen-*
*ſu, quando de fide in fidem juſtitia*
Rom. 1.17. *Dei reuelari dici-*
*tur?*

SOLVTIO.

Eſt quidem vna tantùm fides, ſi au-
thor fidei conſideretur, finis item atq;
objectum. Cùm verò vnica iſta fides
quaſdam quaſi menſuras habeat: Pro-
pterea etiam Dei juſtitia, ab inferiori
fidei gradu ad ſuperiorem, id eſt, à fide
infirmiori, ad firmiorem dicitur pate-
fieri.

CCXXXIX.

*Quî fieri poteſt, vt perſona aliqua,*
*quodam eodemque tempore, tùm Deo ſi[t]*
*inimica, tùm ab illo di-*
*lecta?*

SOL[VTIO.]

SOLVTIO.

Quisquis in corruptione naturæ, & peccatorum luto hæret, Is cùm non fuerit per Spiritum renouatus: propterea Deo inimicus est. Nihilominus tamen, siquidem æterno Dei consilio ad vitam sit electus; tùm eo ipso tempore, quo est Dei hostis, ab illo est dilectus. Rom 7.10. Rom. 9. 13.

CCXL.

*Quisnam maritus esse potest, vt virgo tamen maneat?*

SOLVTIO.

Homo fidelis tametsi sit vxori junctus, per matrimonij copulam: Virgo nihilominus remanet, ob veræ fidei integritatem. Vide Ænigma 191.

CCXLI.

*Quâ quis ratione & vir & infans eodem tempore esse potest?*

SOLVTIO.

Potest quis esse vir PERFECTVS, imò ætate adeó PROVECTVS, vt naturalis ejus vitæ cursus propémodum sit CONFECTVS. Qui tamen infans dici potest, si sit in eo DEFECTVS cognitionis, quæ in filiis Dei necessariò requiritur. Exemplum huius rei Nicodemus suppeditat. Ioan. 3.

CCXLII.

*Ecquis primo statim natiuitatis die in virum legitur euasisse?*

SOLVTIO.

Paulus Apostolus. Qui propter illam donorum excellentiam, & abundantiam cognitionis, (quam regeneratus continuò accepit,) eo inquam respectu, primo statim, quo renatus est, die, non rudis erat atque infirmus infans: sed vt de eo Poëta canit:

Prudent. Act. 9.

*—— Apostolus, ac populorum*
*Doctor, & ore potens, coruos mutan[s] columbis.*

CCXLIII.

*Qui quaso homines bis nascuntur; ter autem morte moriuntur?*

SOLVTIO.

Homines regenerati. Qui primi[um] quidem à matre naturaliter nati; deinde verò ab alia matre, videlicet Ecclesiâ, spiritualiter sunt renati.

1. Iidem regenerati; primò sunt i[n] peccatis mortui, per illam, quæ ex Adamo profluit, naturæ corruptione[m].
2. Deinde verò peccatis moriuntur, p[er] veteris hominis mortificationem, qu[æ]
3. ex morte Christi ac passione manat. E[t] tandem etiam mundo obeunt, per e[x...] corporis atque animæ, quæ ex decre[to]

D

Dei pendet, dissolutionem. Hinc illa sanctissima ac verissima ortum trahit sententia, quâ triplicis huius mortis distinctio continetur.

Qui moritur. *morte scilicet spirituali.*
Antequàm moritur. *morte* nimirum naturali.*
Non moritur. *morte sempiternâ.*
Quando moritur. *morte corporali.*

CCXLIV.

*Ecquis quintam infantiam, seu pueritiam attingit?*

SOLVTIO.

Homo regeneratus, si ad decrepitam senectam iam peruenerit. Primùm quidem infans fuit, propter anteactam ætatem puerilem. 1.
Deinde propter regenerationem, eodem nomine appellari meruit. Tùm 2.
propter exiguam & imperfectam cognitionem, quam in diuinis rebus habet, infans dici potest. Denique infans est propter simplicitatem, & innocentiam infantibus propriam. Postremò propter mores pueriles, qui senectutem comitantur. Vnde prouerbium 3. 4. 5.
SENES BIS PVERI.

CCXLV.

*Qui fieri potest vt vni alicui persona*

*sonæ vnum sit cor tantum; capita verò quatuor?*

SOLVTIO.

Religiosa ac fidelis fœmina, cùm vno corde naturali tantùm sit instructa: capita tamen quatuor habére deprehenditur.

1. Caput videlicet naturale.
2. Maritum tanquam caput domesticum.
3. Regem tanquam caput Politicum.
4. Christum denique ceu mysticum quoddam, & spirituale caput.

CCXLVI.

*At quâ quis ratione vnicum tantùm caput; cor autem duplex possidére potest?*

SOLVTIO.

1. Impius Hypocrita, cùm vnum tantum habeat caput naturale: duplici tamen est corde præditus, interius occultato.

2. Ita corda hominum nondũ conuersorum lapidea dicuntur: vsquedum ijs Deus, per Spiritum Sanctum renouatis, carnea corda largiatur.

CCXLVII.

*Cùm sint constantes adeò diuinæ promissiones,*

*ſiones, vt firmiores eſſe nequeant: cur eis igitur ſigilla adiungun-tur?*

SOLVTIO.

Non certitudinis confirmandæ gratiâ; ſed fidei noſtræ adiuuandæ promiſſis Dei ſigilla appenduntur. Illorum enim veritas magis eſt etiam STABILIS, quàm ipſum ſit cœlorum firmamentum: Hæc verò noſtra fides nonnunquam ita LABILIS, vt (niſi habeat certiſſima quædam pignora:) cum metu quodam ac dubitatione cõiuncta reperitur.

CCXLVIII.

*Quænam res eſt, & non eſt, id quod appellatur?*

SOLVTIO.

Sacramenta: Cùm enim ijs illarum rerum nomen, quarum ſunt Sacramenta, tribuatur: Non ſunt realiter aut ſubſtantialiter illud quod vocantur; ſed repreſentatiuè, ſpiritualiter, ſacramentali vnione. Ita, exempli gratiâ, circumciſioni, quod ſit diuinum fœdus, aſſignatur: cùm non ipſum tamen propriè fœdus fuerit: ſed per relationem ac repræſentationem.

CCXLIX.

*Quî fieri poteſt, vt is qui non eſt baptiza-tus,*

*tus, æternam tamen ſalutem conſequatur?*

SOLVTIO.

Quoniam Baptiſmus tanquam INSTRVMENTVM, Salutem noſtram tantùm ASTRVIT, per fœdus gratiæ iam EXTRVCTAM: propterea etiam non condemnat ADEMPTVS neceſſariò Baptiſmus: ſed voluntariè à nobis CONTEMPTVS.

CCL.

*Cùm anima ſit ſubſtantia ſpiritualis, qui fieri poteſt igitur, vt per elementariam baptiſmi aquam illa purificetur.*

SOLVTIO.

Non ipſum aquæ elementum, vi quâdam ſibi inſitâ animam noſtram mundat: Sed quâdam ordinationis diuinæ ac promiſſionis efficaciâ, externum illud lauacrum, Symbolum eſt ac certum pignus, quod mundationem noſtram internam, quæ fit per ſanguinem ac Spiritum Ieſu Chriſti, repræſentat & obſignat. Quorum ille quidem iuſtificando, tanquam cauſa meritoria: at iſte verò ſanctificando, tanquam cauſa efficiens, ſordes abluit noſtrarum animarum.

*Tit.* 3. 5. *Matt.* 3. 11.

CCLI.

*Cùm*

*Cùm soli Deo proprium sit peccata condonare: quo sensu de baptismo dicitur, quod peccatorum sordes adimat?*

SOLVTIO.

Solus quidem Deus potestatem habet peccata hominum REMITTENDI, ac impunes DIMITTENDI: Baptismus autem tanquam instrumentum, peccata dicitur abluere. Propter ipsius scilicet Baptismi, tanquam signi, cum resignatâ ἀναλογίαν, & tanquam sigilli, cum re obsignatâ ἀσφάλειαν. *Rom. 3. & Luc. 5. 11. Psal. 71. 12.*

CCLII.

*Quis cibus & potus diminui nequit, dum manducatur & hauritur?*

SOLVTIO.

Caro & Sanguis Iesu Christi, spirituale animarum alimentum, licet INNVMERO fidelium NVMERO, in verbo per ministrum OFFERATVR; in Sacrâ cœnâ per Spiritum CONFERATVR: Christus tamen adeò manet integer; vt nullam diminutionem omninò patiatur.

CCLIII.

*Qui potest quisquam cibum capere, ore ac stomacho destitutus?*

SOLV-

SOLVTIO.

Fidelis anima, cùm ore careat atque stomacho: Nihilominus tamen, quotiescunque habet edendi appetitum, Christum per fidē manducare potest. Hinc Augustinus. Quid paras (inquit) ventrem & dentes, Crede, & manducasti.

*Cibus mentis non cibus dentis:* een spyse niet voor t'een Tandt maer voor t' Verstandt.

CCLIV.

*Cùm tanto Christus locorum intervallo distet à fidelibus, quî ergò esse potest illorum nutrimentum?*

SOLVTIO.

Per solam veram fidem: idque propter Christi & electorum vnionem, mysticam illam quidem: sed Spiritûs Sancti virtute, ac veluti glutine arctissimam: Is enim Spiritus Sanctus, Iesum Christum, quem per verbū nobis OFFERT & EXPLICAT, animabus nostris per Sacram Cœnam CONFERT atq; APPLICAT. Ita, vt QVEMADMODVM, & QVAM CERTÒ, panis manducati, & vini hausti virtus, in chilum transit atque sanguinem: ITA, & TAM CERTÒ Christus, per fidem manducatus, in succum quasi ac sanguinem conuertatur. Christus igitur est nutricatio & alimonia Spiritualis, non corporalis & carnalis.

1. Cor. 13. 12. *Mat.* 26. 26 27. 1. *Cor.* 11. 24.

CCLV.

CCLV.

*Cùm fides opus dici possit, cur igitur fidei; non operibus, nostri tribuitur justificatio?*

SOLVTIO.

Non propter fidem quatenus opus, grati Deo sumus: sed quatenus fides quoddam est instrumentum, quò satisfactionem Christi nobis applicamus. *Rom. 5. 1. 11. Gal 3. 14.*

CCLVI.

*Qui fieri potest vt semel tantùm iustificetur, qui terna vice iustificatur?*

SOLVTIO.

1. Abrahamus. Primum quidem tempore conuersionis, per veram fidem in semen promissum, iustus à Deo fuit habitus:
2. Deinde etiam illa fides, quâ promissioni credidit de filio sibi factæ: illa inquam ei fuit ad justitiam imputata. *Gen. 15. 6.*
3. Denique Abrahamus per filii sui oblationem dicitur justificatus. *Iacobi. 2. 21.* Quod cùm ita sit, Abraham tamen non plus semel per fidem scilicet in venturum Christum, iustificatus fuit. Nam quod ad illam fidem spectat, quam promissioni diuinæ adhibuit, ea ex justificatione priori promanauit: Filij verò

ipsius

ipsius oblatio, viuam eius fidem coram hominibus declarauit.

CCLVII.

*Cùm aliorum hominum opes, nostram non leuent egestatem; qui igitur fit, quod iustos nos reddat iustitia aliena?*

SOLVTIO.

Aliorum quidem diuitiæ nihil nobis prosunt, cùm sint soli possessori vsque adeò propriæ, vt nullam possimus earum particulam nobisinetipsis vindicare. Christi verò iustitia, non ei soli, (ceu subiecto proprio,) inest atque inhæret: sed hæc iustitia vlterius deriuatur, atque electis omnibus per fidem imputatur.

*Rom. 4. per totum caput Rom. 10.4.*

CCLVIII.

*Quânam ratione transgressor legis, perfectè iustus esse potest, idque in hâc vitâ?*

SOLVTIO.

Quique Sanctissimi homines legem diuinam multis modis violant: ac propterea, in hoc vitæ curriculo, non per actiuam operum iustitiam: attamen per passiuam, & ipsis imputatam perfectè iusti possunt appellari.

*Rom. 10.4.*

CCLIX.

*Quomodo per fidem Abraham iustus dici meruit,*

*meruit, quandoquidem operibus iustificatus legitur?*

SOLVTIO.

Iustificatus est Abraham per fidem instrumentaliter: declaratiuè per opera. Vel. Abrahami persona per fidem; fides verò per opera fuit iustificata. Nam illa opera de fidei eius sinceritate testimonium perhibebant. *Iacob.2.18.*

CCLX.

*Cùm adinuenta sit adoptio vt esset solatio ac recreationi, legitimâ prole destitutis, quem mihi nominare poteris, qui naturali filio praeditus, alios tamen quam plurimos adoptauit?*

SOLVTIO.

Cùm esset Deo Patri filius vnigenitus, Iesus Christus videlicet, ex substantiâ patris à seculis productus, eum idcircò Pater in hunc mundum misit, vt nobis, irae diuinae filiis, à maledictione liberatis, acquireret adoptionē. Et quidem Deus homines adoptauit, *Gal.4.5.* non vt ei essent oblectationi (in solâ enim sapientiâ Deus delectatur) sed vt *Prov.8.30.* clementiam inusitatam, & inauditam misericordiam claram redderet, atque perspicuam.

CCLXI.

CCLXI.

*Quomodo fideles magis certi, magisque persuasi esse possunt, de paterno Dei erga se affectu; quàm naturalis in hoc mundo filius de patris dilectione?*

SOLVTIO.

Duplex illud testimonium, nimirū Dei Spiritus, & sanctificata fidelium conscientiâ, eos de amore Dei adeo certos reddit, vt nulla in illorum mentibus resideat dubitatio. Cùm è contrario naturales filii, de fideli patrum suorum animo ita persuasi esse non possint.

*Rom.* 8. 16.

CCLXII.

*Quinam sunt illi filij, qui post mortem demum hæreditatem adeunt?*

SOLVTIO.

Adoptati à Deo filij, in hâc terrenâ vitâ, solâ spe sunt hæredes: Realem autem possessionem post obitum demum consequuntur.

*Rom.* 8. 24. 25.

CCLXIII.

*Quodnam est illud patrimonium, quod inter plurimos distributum, per eam tamen partitionem nequidquam diminuitur?*

SOLV-

SOLVTIO.

Cœlestis hæreditas, cuius inter innumeros partitio, nullam omninò diminutionem causat. Quæque perfecta quædam est lætitia; & absoluta beatitudo, in quâ nec defectu laborant; qui gaudio omnium minimo; neq; abundant copiâ, qui maximo fruuntur. Nō secus quàm dolia quædam in Oceanum coniecta, (tametsi sint mensuræ inæqualis;) omnia tamen contingit adimpleri.

CCLXIV.

*Cùm Sacra nobis Scriptura vnum proponat Spiritum, qui potest alius timoris spiritus, alius esse adoptionis?*

SOLVTIO.

Metus atque Adoptio tantùm vnius Spiritus diuersi sunt affectûs, & inter se distincti. Quandoquidem vnus idemque Spiritus, per legem quidem, comminando, nos perculsos reddit: per Euangelium autem, consolando, timorem lenit atque mitigat.

Rom. 8. 15.

2. Cor. 3.

CCLXV.

*Quæ illa res est, quam quis aliis impertiendo, ipse sibi seruat?*

SOLVTIO.

1. Christus filiorum titulo fideles ornat: vt ipse tamen illum non amittat.

2. Ita dum fidelibus à Christo confertur cœlestis jus hæreditatis: illud à Christo non aufertur.

3. Fideles, (animi grati declarandi ergò:) Christo seipsos ita offerunt, cũ vniuersis vocationis operibus; vt illa tamen omnia nihilominus retineant.

CCLXVI.

*Quomodo Adami filius persuasus esse potest de suâ in filium Dei gratuitâ adoptione?*

SOLVTIO.

Per fidem quidem intrinsecus: extrinsecus verò per fidei fructûs. vide Ænigma 261.

CCLXVII.

*Cùm soli fideles, Dei filij, & felicitatis futura sint hæredes; cur igitur varias afflictiones, graues persecutiones, & omnis generis aduersa patiuntur?*

SOLVTIO.

Istud ex Satanæ fit instinctu, & impiorum hominũ malitiâ, qui cùm nec fideles noscant, nec Deum eorundem patrem; propterea Deum quidem in fidelibus odio prosequuntur; fideles au-
*Act. 7.* 
*1. Ioh. 3. 1.* tem ob causæ bonitatem. Deo autem illud

illud permittenti, fideles placet ita explorare, vt cœlestem gloriam posteà consequantur. Nam, 1. Pet. 1. 6. 7. Rom. 8. 18.

*Per varios casus, per tot discrimina rerũ*
*Tendim⁹ in cœlũ, sedes vbi fata quietas*
*Prabebunt. &c.*

*Qui cupit optatam cœli contingere metã Multa tulit fecitq; pius sudauit & alsit.* Nam:

*Non est è terris mollis ad astra via.*

CCLXVIII.

*Cùm metûs ac timoris Spiritus, adoptionis Spiritui omninò sit contrarius: qui fieri potest, vt filijs Dei adoptatis timor quis inhæreat?*

SOLVTIO.

Ex filiis Dei adoptatis seruilis ille timor, qualis malefactoribus aut mancipijs inest, per fidem est expulsus: Inhæret aũt iis filialis reuerẽtia quâ Deũ verẽtur ad iram prouocare. Non igitur tàm metuunt pœnarũ grauitatẽ, quàm delinquendi prauitatem. Psalm. 13. 4. *Oderunt peccare boni. &c.*

CCLXIX.

*Si quotquot hominum à Deo eliguntur, ab eo etiam diliguntur; quo igitur dicuntur sensu cum Deo reconciliari?*

SOLVTIO.

Quatenus à nobis consideratur æternum Dei decretũ ac propositũ: Eatenus electi à Deo perpetuò adamãtur.

 Qua-

SOLVTIO.

1. Christus filiorum titulo fideles ornat: vt ipse tamen illum non amittat.

2. Ita dum fidelibus à Christo confertur cœlestis jus hæreditatis: illud à Christo non aufertur.

3. Fideles, (animi grati declarandi ergò:) Christo seipsos ita offerunt, cũ vniuersis vocationis operibus; vt illa tamen omnia nihilominus retineant.

CCLXVI.

*Quomodo Adami filius persuasus esse potest de suâ in filium Dei gratuitâ adoptione?*

SOLVTIO.

Per fidem quidem intrinsecus: extrinsecus verò per fidei fructûs. vide Ænigma 261.

CCLXVII.

*Cùm soli fideles, Dei filij, & felicitatis futura sint hæredes; cur igitur varias afflictiones, graues persecutiones, & omnis generis aduersa patiuntur?*

SOLVTIO.

Istud ex Satanæ fit instinctu, & impiorum hominũ malitiâ, qui cùm nec fideles noscant, nec Deum eorundem
Act. 7. patrem; proptereà Deum quidem infidelibus odio prosequuntur; fideles au-
1. Ioh. 3. 1. tem ob causæ bonitatem. Deo autem illud

illud permittenti, fideles placet ita explorare, vt cœlestem gloriam posteà consequantur. Nam, 1. Pet. 1. 6. 7. Rom. 8. 18.

*Per varios casus, per tot discrimina rerũ*
*Tendim⁹ in cœlũ, sedes vbi fata quietas*
*Prabebunt. &c.*

*Qui cupit optatam cœli contingere metã Multa tulit fecitq; pius sudauit & alsit.* Nam:
*Non est è terris mollis ad astra via.*

CCLXVIII.

*Cùm metûs ac timoris Spiritus, adoptionis Spiritui omninò sit contrarius: qui fieri potest, vt filijs Dei adoptatis timor quis inhareat?*

SOLVTIO.

Ex filiis Dei adoptatis seruilis ille timor, qualis malefactoribus aut mancipiis inest, per fidem est expulsus: Inhæret aũt iis filialis reuerẽtia quâ Deũ verẽtur ad iram prouocare. Non igitur tàm metuunt pœnarũ grauitatẽ, quàm delinquendi prauitatem. Psalm. 13. 4. *Oderunt peccare boni. &c.*

CCLXIX.

*Si quotquot hominum à Deo eliguntur, ab eo etiam diliguntur; quo igitur dicuntur sensu cum Deo reconciliari?*

SOLVTIO.

Quatenus à nobis consideratur æternum Dei decretũ ac propositũ: Eatenus electi à Deo perpetuò adamãtur.

 Qua-

Quatenus verò naturæ corruptio eiusque fructûs perpenduntur: Eatenus (quoniam per peccata à Deo sunt diuisi) cum illo debent conciliari.

Rom. 5. 7. 8. 9.

CCLXX.

*Quæ res eodem tempore & noua est, & vetus?*

SOLVTIO.

Electorum anima, cui in perfectâ iustitiâ & verâ sanctitate, ad similitudinem Dei renouatæ, corruptio illa vetus nihilominus adhæret.

Rom. 7. 23. 24. 25.

CCLXXI.

*Quâ quis ratione esse potest perfectus iuxtà atque imperfectus?*

SOLVTIO.

Sancti perfecti dici possunt.

1. Ob Christi perfectionem ipsis imputatam.
2. Tùm etiam propter sincerum cordis DESIDERIVM, & conatum SERIVM, quo ad actualem perfectionem tendunt.

*Sanctorum perfectio cõstat* AFFECTV *magis quàm* EFFECTV.

At verò è contrario propter errores multiplices, & varias carnis infirmitates, sanctissimi quique sunt prorsus imperfecti.

Phil 3. 2. 13.

CCLXXII.

## CCLXXII.

*Qui fieri poteſt vt vni eidemque perſonæ carnis ac Spiritûs nomen competat?*

### SOLVTIO.

Homo fidelis eam ob cauſam Spiritus dici poteſt, quod ſit ſanctificatus. Nihilominus tamen etiam eſt caro, cùm illa eius Sanctificatio gradum perfectum non attingat. Adeò vt in eiuſmodi homine Spiritus ſit & caro, corruptio, ac gratia: quemadmodum in poculo vinum aquâ diluitur; & vt ſub diei ortum, cum luce tenebræ permiſcentur. Rom. 7. 14. 15. 16.

## CCLXXIII.

*Quis hominum, cùm ſit vnus tantùm, corpora tamen duo, & duos quoque habet Spiritûs?*

### SOLVTIO.

Perſona verè ſanctificata corpus carneum cùm poſſideat: inſuper & corpus peccatis mortuum habet, quanquam non abſolutè. Rom. 7. 24. Ita quoque præter illum omnibus communem Spiritum, humanam ſcilicet animam, Rom. 8. 1. alio etiam, (Sancto nimirum Spiritu,) Præditus reperitur.

CCLXXIV.

*Quisnam in libertatem cùm sit vindicatus, tenetur tamen quadam exequi?*

SOLVTIO.

Sancti cùm sint à legis maledictione, & à peccati potestate liberi, illius enim, tàm legis quàm peccati vincula, (quibus vincti anteà & alligati tenebâtur,) per regenerationem fuerunt dissoluta: nihilominus ad sincerum Creatoris cultum, & vitam nouam sunt astricti.

Rom. 7. 6.

CCLXXV.

*Cùm is qui est sub gratiâ, nō sit subiectus legi, quî fieri potest, vt quis eodem tempore sub lege sit ac gratiâ?*

SOLVTIO.

Potest quis esse sub gratiâ, vt sit simul sub instructione, ac gubernatione legis: Est autem impossibile, vt is qui est sub gratiâ sit vel maledictioni legis, vel irritationi subiugatus. Quandoquidem ejusmodi homo immunis est à lege tum ad peccata hominem instigante tùm maledictionem ac pœnam comminante.

Rom. 6. 14
Rom. 7. 4. 5.

CCLXXVI.

*An quis seipsum interficiendo, peccatum non committit?*

SOLV-

SOLVTIO.

Horrendum quidem facinus ab eo perpetratur, qui mortem sibi consciscit voluntariam: Si quis verò corruptas rationis ac voluntatis cupiditates occidat, vt hâc ratione cogantur occidere, ille non tantum non peccat, sed facit etiam id quod Deus iubet.

Eph. 5.

Col. 3. 5.

CCLXXVII.

*Quâ quis ratione seipsum diligere, & simul abnegare seu execrari potest?*

SOLVTIO.

Potest quis suam amare personam: seipsũ autẽ, id est, oĩs generis affectiones prauas, eodẽ tẽpore detestari.

*Spernere mũdũ; spernere nullum: Spernere sese. Spernere se spem; quatuor ista beãnt.*

CCLXXVIII.

*Quomodo quisquam in hâc vitâ nõ amplius peccare potest, † cùm nemo tamen hominum quandiu spiritu vitali fruitur, ab omni labe sit immunis?*

*† cùm tamẽ Peccatis mors sola potest imponere finem: ô mors*

SOLVTIO.

Quotquot peccata auersantur, eisq; quantum possunt, acerrimè aduersantur, in quibus prauũ peccandi desiderium, & inclinatio delinquendi, beneficio Dei est correcta: illi voluntatis ratione, quâ vnũ illud expetũt, vt peccatis resistere, & illa cohibére possint, peccata non amplius dicũtur perpetrare.

## CCLXXIX.

*Cùm nos peccato ſimus mortui, & peccatum in nobis ſit, qui fit quod etiam nunc in nobis ſentiatur?*

SOLVTIO.

Quemadmodum miles quiſpiam ictu graui ſaucius; Seſe nihilominus mouet, aut, quemadmodum ille viuit qui, Ingenti languore iacet, ſine viribus, æger.

*Rom.7.22.* Eodem modo in regeneratis peccatum etiam nunc viuit, accepto tamen lethali vulnere, quo, ne ad priſtinum robur vireſque perueniat, impeditur.

## CCLXXX.

*Quì poteſt quis, ſi viuat, à mortuis reſurgere?*

SOLVTIO.

Electi, cùm in carne viuant, à peccatorum morte per Chriſtum, ad nouam *Rom.6.4.* vitam ſuſcitantur. Et hæc eſt prima reſurrectio.

## CCLXXXI.

*Quomodo poteſt pax & bellum*, CONCORDIA & DISCORDIA *vni ſimul ineſſe?*

SOLVTIO.

1. Regenerati Vt pacem cum Deo habent,

bent, cum cupiditatibus bellum gerunt: Sic reprobatis pax est cum peccatis, cum Deo verò inimicitia. 2. Rom. 5. 1. Rom. 7. 22.

## CCLXXXII.

*Quomodo quis eodem tempore, tùm inpugnando strenuus esse potest, tùm sedulus etiam in operando?*

### SOLVTIO.

Verus quisque Christianus, dum suæ vocationis opus continuat, simul etiam obstaculis & impedimentis sese opponit, quibus mundus, peccatum & Satanas, triplex ille Cerberus animi ardorem ei adimere, eamq; (vt Israelitas ab extructione Hierosolymæ:) sic ab incepto feliciter opere auocare tentat.

## CCLXXXIII.

*An is qui à peccatis iam est liberatus, cum Paulo potest exclamare, Quis me liberabit?*

### SOLVTIO.

Imò verò. Etenim qui peccati dominio non amplius est subiectus, omnibus illud votis expetit, vt ab infirmitatibus perfectè liberetur. Sanatur autem, (vt inquit Augustinus,) à reatu STATIM; ab infirmitate PAVLATIM. Rom. 7. 24

CCLXXXIV.

*Quî fieri potest, vt quis ducatur pœnitentiâ, priusquam eam habeat?*

SOLVTIO.

Inest filiis Dei desiderium, ac resipiscendi firmum propositum, priusquam resipiscendi seu pœnitendi actum, donum vel gratiam nanciscantur.

CCLXXXV.

*Quî fieri potest, vt quis pœnitentiam agat absque pœnitentia?*

SOLVTIO.

Quotiescunq; hominem commissorum malorum pœnitet, per quandam internam Spiritûs suggestionem; tùm pœnitentiam agit ejusmodi, quæ causa ipsi futura non est, vt eum olim de illâ pœniteat. 2.Cor.7.10.

CCLXXXVI.

*Quomodo quis absque resipiscentiâ peccata confiteri, & ab ijsdem abstinére potest?*

SOLVTIO.

Hilarius. Quanquam peccatorum *confessio* dicatur esse desinendi *professio*: Nihilominus tamē si sit confessio illa coniuncta cum Hypocrisi, & si coactè quodāmodo fiat, propter pungentē conscientiam, Talis inquam confessio, (cùm ex malorum detestatione, & remissionis fiducia non promanet:) resipiscentiam

seriam

ſeriam non arguit. Ita nec veræ eſſe poteſt ſignum reſipiſcentiæ, ſi peccatũ aliquod, propter ademptam peccandi occaſionem, externè *omittatur* : internè verò per delinquendi deſiderium, *committatur.*

CCLXXXVI.

*An in hoc vita curriculo tanta eſſe poteſt cuiuſquam iuſtitia, vt nullâ egeat reſipiſcentiâ?*

*Ex Lucâ: 15. 17. Vbi Christus dicit: Angelos magis lætari ob vnius peccatoris conuerſionẽ; quâm 99. iuſtos non indigentes reſipiſcentiâ.*

SOLVTIO.

1. Si abſolutè ac propriè loquamur, non poteſt vlla ejuſmodi perſona reperiri: ſi verò comparatè, poteſt. Nã is qui olim reſipiſcentiam egit, peccatiſq; valedixit, & aliquem iam progreſſum fecit in juſto vitę curſu: Is inquam reſipiſcentiâ non tàm opus habet, quã alii in peccatis mortui, aut paulò antè demum conuerſi.

2. Deinde, quiſquis imaginatur ſibi, quod ſit perfectâ præditus juſtitiâ, nulloq; planè vitio contaminatus: ille (iuxtà propriam opinionem) reſipiſcẽtiâ nullâ indiget.

CCLXXXVII.

*Cùm reſipiſcentia nulli pateat, verùm internè abſcondita & occultata* lateat:

*Quomodo igitur Angeli, cùm non ſint καρδιογνῶσται, ob peccatoris lætantur conuerſionem?*

SOLVTIO.

1. Luc 15. 7. Angeli per externa ſigna ad cognitionem perueniunt internæ conuerſionis, quâ cognitâ gaudio inſigni afficiuntur, quod eam inſeruire ſciant, tùm honori diuini nominis; tùm regni eius incremento.

2. Cùm Angeli gaudio dicuntur exultare: illud intelligi poteſt gaudium, quod propter omnes electos in genere, concipiunt.

CCLXXXVIII.

*Quo pacto poteſt is ſeruari, qui in peccatis verſatur deteſtandis; vt non ſaluetur alius, qui in iiſdem volutatur?*

SOLVTIO.

Siquidem ſecretum peccatum atque eiuſmodi ſit, quod ipſe, qui committit peccatum eſſe non animaduertat: (tale peccatum fuit patrûm polygamia, & fornicatio inter Corinthios) de quibus particulariter ſi quem non pœniteat, dummodò generali ducatur pœnitentiâ, ſalutem poteſt adipiſci.
Luc. 13. 3. Sed cùm quis talia committit contrà conſcientiam is ad ſalutem peruenire nequit,

nequit, nî prius resipiscentiam specialem egerit.

CCLXXXIX.

*Quæ illa res est, quæ cùm Salutis non sit causa; ad eam tamen consequendam necessariò requiritur?*

SOLVTIO.

Bona opera, quæ licet non sint causa regni: attamen via sunt regnandi. *Bernhardus.*

CCXC.

*Si seruari non possumus per nostra bona opera, quibusnam igitur de causis à nobis committuntur?*

SOLVTIO.

Causæ partim impulsiuæ, partim sunt finales.

Impulsiuæ sunt.
1. Mandatum Dei.
2. Redemptio nostri pretioso Christi sanguine.
3. Nostri ad Sanctimoniam renouatio, Spiritûs Sancti efficacitate, inchoata.

Tùm Deum, cuius nominis celebrandi gratiâ, bona sunt opera exercenda.

 Tùm

Finales spectant { Tum hominem. Cui
Vel suiipsius gratiâ, vitæ integritati est studēdū, vt hâc ratione de fide confirmetur. Vel proximi causâ, vt is vel ædificetur, vel confundatur si sit aduersarius.

CCXCI.

*Quomodo placent Deo bona nostra opera, cùm imperfecta tamen, & legi diuinæ non sint consentanea?*

SOLVTIO.

Quatenus bona opera fidei, & Spiritûs Sancti sunt effectus: eatenus intercessione Christi, Deo sunt grata atque accepta.

CCXCII.

*Si vita æterna per Christum impetratur, cur igitur appellatur bonorum operum merces?*

SOLVTIO.

Proponitur quidem bonis operibus futuræ vitæ merces, non vt laboris debita compensatio: sed vt gratuitum præmium, quod ad fidelem nobis muneris functionem, & strenuum operum bonorum exercitium calcar quasi addat. *Matt. 5.*

Cùm

CCXCIII.

*Cùm is qui Christum cernit, patrem etiam videat: quâ igitur de causâ pater à nemine vnquam conspectus esse dicitur?*

SOLVTIO.

Deus cùm immediato visu nunquā sit conspectus: in Christo quodammodò visibilis apparuit. Quandoquidem doctrina Christi, vita & miracula, quoddam fuêrunt quasi speculum, ex quo perspecta fuit immensa Dei bonitas, veritas item ac potestas.

CCXCIV.

*Cùm Deum in cœlis, sicut est, visuri, adeòque perfectè cognituri simus: quonam est igitur intelligendum sensu, quando cognitio nostra tùm desitura dicitur?*

SOLVTIO.

Cognitio nostra imperfecta prout hauritur ex librorum, ministerii & doctrinæ fonte, illa finem est sortitura.

CCXCV.

*Cùm hæc æterna dicatur esse vita, vt vnus Deus cognoscatur, & quem is misit Iesus Christus; quî igitur fit quod multi pereant hâc cognitione imbuti?*

SOLV-

SOLVTIO.

Cognitio Dei & Iesu Christi, si sit cum fide iuncta, æternæ vitæ principium dici potest. Quandoquidem certam fiduciam, delectationem in Deo perpetuam & dilectionem ergà Deum seriam in nobis operatur. Propterea cognitio eorum, qui cùm Deū & Christum noscant, nihilominus pessum eunt, illa, inquam, est generalis, & tùm amore ergà Deum, tùm confidentiâ destituta.

CCXCVI.

*Quî fieri potest, vt quis id non perspiciat quod videtur perspicere?*

SOLVTIO.

Qui Theoriam spiritualem absque praxi habent, illi quæ vident dicuntur non videre, propterea quod fuisset melius non cognouisse, quod cognorunt, & quod viderunt non vidisse.

CCXCVII.

*Cùm luminis alicuius* CLARITAS, *tenebrarum* OBSCVRITATEM *impedire soleat: quomodo igitur per lucem tenebras contingit adaugeri?*

SOLVTIO.

Cùm ij qui cognitione fuerunt illumina-

minati, CARVM non habent CLARVM illud lumen, nec illud sequi ADNITVNTVR: sed cognitæ Dei voluntati petulanter OBNITVNTVR; in ijs lumẽ cognitionis caligini nõ ADIMIT, sed ADDIT obscuritatem, ita vt mens eorum, Cimmeriis tenebris obfuscetur, & ipsi in æternas tenebras miserè tandem præcipitentur. Exemplo Pharisæorum docemur, rem ita se habére, qui contrà cognitionem atque conscientiam Christum sunt persecuti.

vide. Hebr. 6. 4. 5. 6.

## CCXCVIII.

*Quomodo qui scit pauca quædam, maiori cognitione tamen est instructus, quàm is qui multa nouit?*

SOLVTIO.

Exigua hominis alicuius COGNITIO, dummodò COGNATIO ei sit, cum sincero AFFECTV, & studio tali quo ea, quæ nouit, EFFECTV declarare nititur, hæc inquam cognitio, eâ est erfectior, quæ cùm sit maior quidem: Praxi destituitur. Exigua igitur cognitio si sit ACTIVA, Sana est: CONTEMPLATIVA, vana.

2. Pet. 1. 5. 6. 7.

## CCXCIX.

*Qui fieri potest, vt quædam reperiatur*

*discens*

*discens ignorantia, atque ignorans cognitio?*

SOLVTIO.

Cùm sensibus nostris voluntati diuinæ humiliter submissis, ea quæ nobis ignota esse voluit, non temerè perscrutamur: sed voluntariè potius ignoramus: tùm hæc est discens ignorantia. Quemadmodum etiam ignorans est cognitio, quando vel res eiusmodi curiosè inuestigamus; vel cognitionem, quam habemus, praxi nobis non applicamus.

CCC.

*Quænam res est, quam quis alijs distribuendo, non tantùm integram sibiipsi retinet; sed eo modo etiam accumulat?*

SOLVTIO.

Cognitio rerum diuinarum. In qua is non DEFICIT qui aliis etiam eam communicat: sed magis etiam PROFICIT. Vsu enim incrementum capit, prout scriptum est: *Ei, qui habet, dabitur.*

CCCI.

*Qui fieri potest, vt gratia peccatum alat, & occasionem ei suggerat?*

SOLV-

SOLVTIO.

Gratia diuina per abusum, (dum in peccandi libertatem vitiosè commutatur,) peccandi quasi ansam, & occasionem præbet.

CCCII.

*Quânam ratione qui stulti fiunt, sapientes dici: & qui sapientes fiunt, stulti vocari possunt?*

SOLVTIO.

Diuinam ille habet sapientiam, qui sibimetipsi ac mundo stultescit, dum omni abiecta carnis opinione, in iis quæ salutem spectant, solo seipsum Dei verbo committit gubernandum. Cùm illi è contrario, qui carnali ducuntur ac proprio affectu, humanâque prudentiâ, stulti à Deo reputentur.

CCCIII.

*Quomodo qui est in terris, in cœlis simul esse potest?*

SOLVTIO.

Spe Christiana, per quam quis sperat & expectat cœlestis regni possessionem, tanquam iam actualem. Spe enim seruamur inquit Apostolus.

CCCIV.

*Cùm hæreditatem cœlestem per fidem videamus,*

*deamus, quomodo eam ſperare poſſumus, cùm ſpes tamen ad res inuiſibiles tantùm ſe extendat?*

SOLVTIO.

Spes noſtra promiſſionis effectum: at verò fides, veritatem reſpicit.

CCCV.

*Quî fieri poteſt, vt quis ſimul ſub ſpe, & ſuprà ſpem credat?*

SOLVTIO.

Poteſt quis ſimul ſub ſpe diuinâ credere & ſuprà ſpem humanam. Si ſcilicet humanum auxilium deſpiciat, de illóque deſperet: Diuinæ autem promiſſioni ac poteſtati fidens, bona omnia ſperet, ac proſpera. Exempli loco Abrahamum nobis proponamus, qui, (quod Sara non potuit,) ſpe quâdam firmâ credidit, promiſſam ſcilicet Iſaaci natiuitatem.

CCCVI.

*Cùm nos per ſpem ſaluari Sacræ teſtentur literæ, quomodo per ſolam fidem ſalutem obtinemus?*

SOLVTIO.

Per ſolam fidem tanquam inſtrumentum, vitam æternam impetramus. Seruari verò per ſpem dicimur, proptereà quod vitam illam, cuius poſſeſſionem

sionem ſtabili fide credimus, ſpe firmâ expectamus.

CCCVII. CCCVIII.

*Cùm ſpes tenaci aſſimiletur Anchoræ, quî fit quod multi, qui ſe ſalutem ſperare gloriantur, ſpemque metumque inter dubij ſint?* &

*Cùm pudefactio, ſeu confuſio ſpei adimatur, quî fit quod plurimi, qui ſpem vitæ iactant, illam tamen æternam vitam, (quæ eſt ſpei finis,) non attingant?*

SOLVTIO VTRIVSQVE.

Spes Chriſtiana à Deo deriuata, cũ ſuper bonitatem Dei, ac veritatem ſit ſolidè fundata: ſola non confundit; hęc inquam ſola

*Spes confiſa Deo nunquã confuſa recedit.*

--- *Nullo victa timore cadit.*

CCCIX.

*Qui fieri poteſt, vt quis benè faciat non diligendo, priuſquàm diligatur: & vt in re eâdem alius malè faciat?*

SOLVTIO.

Electi à Deo prius in Chriſto diliguntur, deinde ad amorem reciprocũ per Spiritum Sanctum inſtigãtur. Quo amore dum Deum proſequuntur benè ac rectè faciunt, quandoquidem cum eo congruit, quod 1. Iohan. 4. extat. Deum idcircò nos amamus, quod ipſe prius,

prius non amârit. Homines autem reprobati, qui proximum amant, amore prouocati, Deumq; etiam diligunt, sed nonnisi bonorum temporalium, (quæ præcesserunt,) ratione; illi propterea malè faciunt, quod non sit pura eorum dilectio.

CCCX.

*Quodnam est illud donum, quod est simul dono fidei, eximius, & exilius.*

SOLVTIO.

Caritas seu dilectio. Quæ ipsa fide longè est præstantior;

1. *Eximius.* 1. Quoniam latius patet quàm fides, vtpote quę præter Deum, Angelos etiam amplectatur, & quoscunque homines: cùm fides solum spectet Deum, eiusque tantùm promissionibus, ceu fulcro, innitatur.

2. Quoniam est diuturnior amoris quàm fidei continuatio. Nam cessat fides finem assecuta: Dilectio autem non tantum in hoc seculo: sed & in altero locum est habitura.

2. *Exilius.* Vt autem amor his respectibus fidè antecellit, sic alia vicissim ratione amori fides meretur anteponi. Quia ipse amor scilicet, quidam est quasi fructûs, ex fide, ceu radice pullulans, qui

qui vim planè nullam, absque fide habet.

## CCCXI.

*Cùm timor Domini perpetuò consistat: quomodo expellitur per amorem timor?*

### SOLVTIO.

Amor ex corde electorum seruilem metum eradicat, quô DEVS timetur tanquam Iudex, supplicio quenquam affecturus. Filialis autem timor, quo tanquam pater à nobis metuitur, is inquam, manet in æternum, cùm sit assiduus amoris, & comes indiuiduus.

## CCCXII.

*Quî fieri potest, ut quis eodem tempore, illa quæ habet, abneget: & habeat quæ abnegat?*

### SOLVTIO.

Potest quis ea, quæ possidet, denegare, affectu scilicet ac proposito, quo apud se constituit, animo prompto ac parato, vitam, opes, & quæcunque alia, premente ita necessitate, pro Christo derelinquere.

## CCCXIII.

*Quomodo Christianus aliquis benedictione*

Dei

*Dei temporalem, omnium etiam minimũ tanti potest æstimare, vt se indignum ũ profiteatur: & nihilominus omnium maximam vsque adeò contemnere, vt stercus eam atque sordes judicet?*

SOLVTIO.

Quatenus bona temporalia certa sunt quædam amoris Dei signa, & fructûs nostræ per Christum redemptionis; tum quatenus Christianis dantur, vt in hâc mœsta & molestâ peregrinatione ijs nonnihil reficiantur: eatenus omnium minimum, magni à nobis est faciendum. Bonis autem temporalibus cum excellenti cognitione Christi, gloriâque cœlesti, comparatis; corum omnium præstantissimum à nobis debet pro luto reputari.

Bernhard. *Cogitemus crucẽ Christi; & diuitias lutum putabimus.*

CCCXIV.

*Cùm naturalium parentum amor, in nobis necessariò & seriò requiratur: quomodo ũ igitur odisse possumus, vt malum non tantum non faciamus, sed Dei etiam voluntatem in eo exequamur?*

SOLVTIO.

Quatenus cum Christo & cum Euangelio parentes nostri componantur: eatenus nobis non interdicitur, imò manda-

mandatur potius, vt odio eos, id est minore dilectione quàm Christũ prosequamur. Cedit enim pietati affectio naturalis.

CCCXV.

*Qui potest quisquam colere ipsum verum Deum, vt nihilominus eodem tempore plures Deos colat?*

SOLVTIO.

Potest homo, qui verum Deum quà professionem colit, in diuitiis & opibus, mundanis voluptatibus, aut aliis denique rebus caducis fiduciam collocare. Quod siquidem faciat, Spiritualem committit Idololatriam.

CCCXVI.

*Qui fieri potest, vt homines duo eundem Deum colant, diuerso tamen successu; ita vt alter benè, at alter verò malè faciat?*

SOLVTIO.

Si eorundem vnus Deum, propter insignem ejus bonitatem, amore prosequatur, ipsumque vereatur ad iram prouocare: At alter sibi à peccatis caueat, non quod peccatum timeat; sed quod pœnam, peccata insequentem.

*Impia mens horret pœnam sed mens pia culpam.* &:

Horat. *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*
*Oderunt peccare boni virtutis amore.*

CCCXVII.

*Quî potest timor atque tremor cum gaudio coniungi?*

SOLVTIO.

1. Primùm quidem diuersa si sint obiecta: Ita, exempli gratiâ fœminæ, quæ ad Christi sepulchrum, illum vncturæ venerant, propter gloriosam Angeli apparitionem, timore trepidabãt: Sed intellectâ resurrectione Christi,
2. metu liberatæ, lætitiâ fruebãtur. Deinde omnes omninò fideles, dum suę vocationis operibus Deum exaltant: mediationis Christi, & misericordiæ diuinæ memores, lætitiâ exultant. Sed ita tamen, vt hoc eorum gaudium, propter Augustam Dei Maiestatem, & infirmitatem humanam, absque timore ac reuerentiâ nequâquam concipiatur.

*[illegible].2.11. [illegible]ubentur [illegible]tē operari [illegible] tremore.*

CCCXVIII.

*Quæ illa res est, quæ tantis viribus tàmque immensis pollet, vt ipsum Deum, (quo nemo tamẽ fortior, nemo est potentior,) ipsum inquam, vincere, & quasi expugnare possit?*

SOLVTIO.

Preces, si cum sincerâ fidelitate, ferventi

uenti zelo, & cum submissâ fundantur humilitate, non tantùm beneficia impetrant: sed etiam pœnis obstant alioquin infligendis. vide Exempla; Mosis. *Exod.* 32. & Eliæ Iacobi 5. 17.18.

CCCXIX.

*Cuiusnam rei simul duplex est euentus, tùm prosper, tùm aduersus?*

SOLVTIO.

Precûm. Quæ licet finem suum non semper assequantur, ac malum propterea euentum habére videantur: majora sæpè ac meliora impetrant.

Hinc ille, non scitè minus quàm verè.

*Multos* (inquit) *Deus ad voluntatem non exaudit, vt exaudiat ad salutē.*

Et Augustinus: *Non audit medicus ad voluntatem: sed ad sanitatem.*

Nam multi egestate pressi, infirmitate affecti, miseriis denique quibuscunque & tentationibus afflicti, si non releuationem malorum externam; internam tamen confortationem à DEO consequuntur. Exemplo Pauli istud comprobante. (2. *Cor.* 12.9. vide etiam *Act.* 4.)

CCCXX.

*Quisnam est ille Tabellarius, qui ipsis est leuior & velocior Angelis?*

SOLVTIO.

Preces, quæ tantæ sunt celeritatis, vt vno momento in cœlum sursum volitent, postulata nostra illic deferant, nobisq; continuò responsum referant.

Dan. 9.
Act. 10. 4.

CCCXXI.

*Si nullos Deus in Israële esse vult mendicos, qui fit quod omnes in eo sint mendici?*

SOLVTIO.

Deus nullos in Israële esse vult mendicos, qui mendicando tantùm, & non laborando, vitam terrenam sustentare studeant. In Israële autem, id est in Ecclesiâ omnes sunt mendici, qui cùm inopiâ premantur Spirituali, eam petunt per Christum à Deo releuari.

CCCXXII.

*Quo quisquam ore clauso voce tàm clarè vociferare potest, vt clamor eat cœlo?*

SOLVTIO.

Interna hominum fidelium suspiria, ex imo ducta pectore, instar ingentis alicuius clamoris in aurib⁹ Dei sonant.

Ita

Ita Moses & Anna, propter internos cordis singultûs, cùm ne verbum proloquerentur, voce ingenti dicuntur clamauisse. Ita sanguis Abeli vociferare legitur. Nouit & Apostolus hunc in viris fidelibus spiritûs esse clamorē cùm dicit, spiritus in cordibus clamat Abba pater. Vide etiam *Psal.* 118. *versic.* 145.

Exod. 14. 15.
1. Sam. 1.
Gen. 4. 10
Rom 8. 26

CCCXXIII.

*Cùm multi, Domine, Domine, illo die sint dicturi, nec regnum tamen cœleste ingressuri: Quonam est igitur capiendum sensu, cùm is seruandus dicitur, qui Domini nomen innocauerit?*

SOLVTIO.

Quotquot Domini nomen ita inuocant, vt eorum preces ex fide profluant, & vero ergà Deum amore, illi certò seruabuntur. Alii verò qui pro more ipsum Hypocritico ore tantum profitentur nullam sibi factam habent futuræ vitæ promissionem.

CCCXXIV.

*Quomodo qui sunt Lazaro similes, omnes Dei filios, etiam ditissimos, sibi possunt deuincire?*

Luc. 16. 9

SOLVTIO.

Ardenti ac deuotâ, proque illis ad

Deum fusâ, supplicatione.

CCCXXV.

*Quæ res victor euadit, quando se tradit in victi potestatem?*

SOLVTIO.

Patientia, quæ dum aduersa fert submissè, & constanter perfert, animos vincit omnium crudelissimos.

*Nobile vincendi genus est patientia: vincit*
*Qui patitur: si vis vincere, disce pati.*

CCCXXVI.

*Quid res portatu difficilimas, facilimas nobis reddit?*

SOLVTIO.

*Ferre decet patienter onus quod ferre necesse est: Qui iacet inuitus, durius ille iacet.*

Christiana patientia, quæ afflictionum onus vsque adeò releuat, vt id portantibus leue (*lene*) sit ac suaue, quod mœstum molestumque anteà & graue videbatur. (2.*Cor*.4.17.)

CCCXXVII.

*Quænam est illa virtus, quæ Christo nos similimos reddit & Satanæ dissimiles?*

SOLVTIO.

*Phil.* 2.5.

Humilitas Christiana. * Neque enim quisquam Christo humilior, nec

* *Quantū-*

nec quisquam Satanâ est elatior, ac filio eius Antichristo. *cunque te deiecĕris, humilior non eris Christo,* verba Hieronymi.

CCCXXVIII.

*Quisnam eodem tempore tùm principalis omnium peccator, tùm vnus erat ex Sanctis præcipuis?*

SOLVTIO.

Apostolus Paulus indignitatis memor, humilitatem suam in eo declarauit, quod semetipsum ducem peccatorum, & quasi antesignanum nominârit; cùm esset tamen eo tempore principalis Sanctus, & ædificator Ecclesiæ præcipuus. 1.Tim 1.1

CCCXXVIII.

*Quî fieri potest, vt sublimitas alicuius in humilitate consistat?*

SOLVTIO.

Humilitas animi, sublimitas Christiani vera est. Christianus quò sublimior eò humilior est, & quò excelsior eò minus videri vult, vt sol quò altior, eò minores vmbras edit. secundũ illud:

*Manè cadit crescens & vespere grandior vmbra?* item:

*Maioresq; cadunt &c.*

CCCXXIX.

*Quæ illa res est, quæ*

*Te veniente, fugit: te fugiente, venit?*

SOLVTIO.

Gloria & honeſta in his terris fama, quæ ſicut humiles comitatur, qui eam negligunt; ita inflatos linquit & arrogantes homines, qui eam ipſam ambiunt. Adeò vt illud ſibi iure applicari poſſit.

*Si fugis; inſequitur; ſed te fugit illa ſequentem:* & illud Martial.

*Inſequeris, fugio: fugis, inſequor: hæc mea mens eſt*

*Velle tuum nolo: tùm quoq; nolle volo.*

CCCXXX.

*Quanam ſubeſſe poteſt ratio, quod duo ſimul templum ingreſſi, preces in eo fundant, at non pari ſucceſſu: ſed ita ſcilicet, vt quidem vnius preces exaudiantur; alterius verò à Deo repudientur?*

SOLVTIO.

*Luc.*18. Id nos docet Phariſæi & Publicani exemplum, quorum ille quidem elatus Iuſticiarius, bona à ſe commiſſa jactabat, ſed id abſque fructu. Hic verò coràm Deo ſe ſubmiſſè gerens, ſuorum delictorum veniam impetrabat. Nam:

*…imendũ magis quàm …umendum.*

*Deus altus eſt: ſi te extollis fugit à te: ſi te deprimis, venit ad te.*

CCCXXXI.

*Cùm ſit diei nulli quadam præ ceteris adſcribenda dignitas, quî fit quod Deus diem*

*ſepti-*

*septimum voluerit sanctificare?*

SOLVTIO.

Non id fecit Deus diei ratione; sed vsus potius siue finis. Nam omnes quidem dies æquales quà naturam: quà opus autem in eo commissum sunt multum inæquales.

CCCXXXII.

*Cùm zelus nobis à Deo præcipiatur, quo igitur sensu peccatum appellatur?*

SOLVTIO.

Quemadmodum zelus est peccatum, si cognitione careat: ita sapiens & diuinus zelus, specialis est & Christiana virtus. *Rom.* 10.2. *Rom.* 3. 19.

CCCXXXIII.

*Cùm sacrificia Deus instituerit, cur ab ijsdem abhorrére dicitur?*

SOLVTIO.

1. Deus oblationes & sacrificia detestatur, si vel absq; fide, ac resipiscentiâ immolentur: 2. vel cum corde contrito ac humiliato, (quo sæpè destituuntur) comparentur. Ejusmodi enim cor humiliatum, Deo magis quàm sacrificium dicitur arridere. Est igitur comparata locutio. vide *Hosea*.6.6. *Esa.* 1. *Ps.*51.16.

CCCXXXIV.

*Quânam ratione possumus ex toto corde*

*Deum diligere, cùm eiusmodi amore proximum quoque nostrum complecti iubeamur?*

SOLVTIO.

Si proximum nostrum, propter Deum, in Deo, & post Deum diligamus, tùm corda nostra inter Deum ac hominem nequáquam dispertimur. Quod si verò proximum non amemus, iuxtà præscriptam à Deo regulam, & ad solam solius Dei gloriam, tùm corda nostra inter Deum & homines quodammodo diuiduntur.

CCCXXXV.

*Quî potest amor inter illos, qui sunt imperfecti, vinculum dici perfectionis?*

SOLVTIO.

Quoniam fraternus ac mutuus amor, vnum alteri firmiter astringit, (prout res quędam vinculo inter se copulantur:) adeò vt omnes coniunctis viribus, aduersus Satanam atque hostes pugnent: propterea perfectionis vinculum potest appellari.

CCCXXXVI.

*Cùm φιλαυτία vitium reputetur, quo igitur sensu præcipitur nobis, vt eo proximum nostrum amore, quo nosmetipsos complectamur?*

SOLV-

SOLVTIO.

Eatenus vitium est φιλαυτία, quatenus corruptam rationem, & voluntatem nostram diligimus: Alioquin virtus dici meretur, siquidem nosmetipsos, id est corpus & animam nostram, sincerá dilectione, ac verbo Dei consentaneâ prosequamur.

CCCXXXVII.

*Quæ illa res est quæ sit nostra simul, & non nostra?*

SOLVTIO.

Nostra quidem sunt bona temporalia & dona spiritualia, respectu proprietatis: respectu verò vsûs, non sunt nostra, quandoquidem ea aliis etiam, quantum ad id apti erimus, tum quantum etiam necesse fuerit, debemus communicare. Act. 11. 29. 30.

CCCXXXVIII.

*At quidnam verò illud est, quod ea, quæ sunt propria, multis reddit communia; cùm tamen contrarium facere non possit, vt ea scilicet, quæ sunt communia, vni alicui fiant propria?*

SOLVTIO.

Charitas vera & Christiano digna, eiusmodi dona & bona, quorum nos sum⁹ possessores, ad alios deriuãdo, ea,

quà vſum facit communia. Cùm è contrario illud non poſſit, vt Chriſtū ejuſdemq́ue merita, verbum & Sacramenta, vni alicui reddat propria, quæ ſunt communia fidelibus vniuerſis.

CCCXXXIX.

*Qui fieri poteſt, vt quis caritatis legem non violet, dum aliјs maledicit: cùm noſtris tamen benedicere hoſtibus, & pro iїſdem precari iubeamur?*

SOLVTIO.

Propheta Dauid, dum ex prophetico quodam Spiritu maledictiones denunciat, publicis ſuis & deſperatis hoſtibus: charitatis vinculum tamen non diſſoluit. Injuſtum autem eſſet, & charitati repugnans, ſi nos priuatos hoſtes
Luc. 6. 27. 28. itidem execraremur; quos Deo noſtris precibus jubemur commendare.

CCCXL.

*Quodnam eſt illud debitum, quod cùm quotidiè perſoluatur, ſemper tamen permanet?*

SOLVTIO.

Cùm perſoluendo charitatis debito
Rom. 13. 9. quotidiè ſimus occupati, ab eo tamen debito, non poſſumus liberari.

Qui

CCCXLI.

*Quî poteſt quiſquam abſque peccato, eundem hominem amare atque odiſſe?*

SOLVTIO.

Si id diuerſis fiat reſpectibus, & hoc nimirum modo, vt quis idcircò hominem diligat, quod eum Creaturam, & Chriſti membrum eſſe ſciat: ipſum autem, id eſt, ipſius vitia, & infirmitates odio proſequatur. Nam (vt inquit Auguſtinus) nec propter vitium odio habendus homo: nec vitium propter hominem amandum.

CCCXLII.

*Quî fieri poteſt, vt quis patres quinque legitimos, tres verò matres habeat?*

SOLVTIO.

Electorum quiſque.

1. Deum pro patre habet, à quo ex gratiâ fuit adoptatus.

2. Deinde naturalem etiam habet genitorem.

3. Magiſtratum, qui pater eſt officii ratione.

4 Miniſtrum ceu patrem ſpiritualē.

5. Senes, patres quà ætatem.

Eodem modo tres ſunt ipſi matres 1.
nimirum præter naturalem, Ciuilis, 2.

3. quæ respublica; & Spiritualis, quæ Ecclesia dicitur.

CCCXLIII.

*Quænam est illa res, quæ quandam inter æquales constituit differentiam?*

SOLVTIO.

1. Cum omnes Christiani quà creationem ac professionem æquales dici possint: Est tamen quædam inter eos, dignitatis puta atque donorum respectu, differentia. 2. Deinde illi ipsi etiam, qui sunt æquales authoritate, differre possunt pietate, qua eorundem alii alios antecellant.

CCCXLIV.

*Quî fit quod superiores, quoque honorent inferiores?*

SOLVTIO.

Est quidam honor ac reuerentia, quà magistratus subditos, parentes suos liberos, Domini seruos, pastores populum prosequuntur. Nam cùm vnusquisque, qualiscunq; tandem sit, Dei gerat imaginem: propterea ei honor debet exhibéri. Hinc est quod vxorem maritus iubeatur honorare. 1. Pet. 3. 7.

CCCXLV.

*Quî potest quidquam reperiri, quando id amittitur, & tum amitti, cùm reperitur?*

SOLV-

SOLVTIO.

Quicunque propter Christi causam, terrenam vitam perdit, cœlestem is reperiet: Cùm è contrario, qui Christum abnegando, corpus hic seruauerint, beatam illam vitam olim sint amissuri. Huc pertinet scitum illud: *Perijssent multi, nisi perijssent, & seruati essent multi, si perijssent.* Matth. 16.

CCCXLVI.

*Quî potest quisquam interiore doloris sensu affici: vt ille tamen dolor ad ipsum non pertineat?*

SOLVTIO.

Per mutuæ compassionis & commiserationis affectum, quo fideles, (cùm sint amoris vinculo inter se copulati) ijs qui dolent, solent condolére. Sic Christus commiseratione tactus, ex intimis profectâ visceribus, nostras ipse tulit miserias, nostras, inquam, portauit afflictiones. Sic nobis quoq; cùm simus membra vnius corporis, commune esse debet mel, & fel, amata & amara. Nam MISERIA MISERICORDIÂ quodammodo minuitur atq; alleuatur. Rom. 12. 15. Heb. 13. 3. Esa. 53. 4. 1. Cor. 12.

CCCXLVII.

*Quî fieri pôt, vt leoni immani ac terribili, tanta*

*tanta cum Agno pax ſit & concordia, vt vnà ambo commoventur?*

SOLVTIO.

Homo impius, cui quà naturæ corruptionem, crudelitas tanta ineſt, vt cum Leonum ſæuitiâ componi mereatur: Ejuſmodi, inquam, homo, ſi quando verbo Euangelii efficaciter conuertatur, mente atque affectibus omninò commutatis, in pace cum fidelibus habitat, qui propter infirmitatem,
Eſ. 11. 6. 7. atque innocentiam cum Agnis ſolent comparari.

CCCXLVIII.

*Quî poteſt quiſquam multa copiosè diſtribuere, qui nihil habet, quod diſtribuat?*

SOLVTIO.

1. Poteſt quis opibus terrénis non abundans, dona aliis ſpiritualia largiter impertire, prout Apoſtoli leguntur id
2. feciſſe. Deinde poteſt homo pauper abundanter largiri:

1. Dum miſericordiæ operibus, ab aliis in egenos collatis, conſentit.
2. Dum paucula, (ſiquidem id poſſit,) tribuens, ſuo diuites exemplo docet, ac ducit.

3. Dum

3. Dum vitæ suæ integritate, aliisque charitatis fraternæ officiis, diuitibus prælucet.

*Neque enim ——— virtutibus obstat*
*Res angusta domi —————*

## CCCXLIX.

*Quæ illa res est, quæ vnum, facit ex duobus, corpus: cùm tantum tamen efficere nequeat, vt ex duabus animabus vna tantùm fiat?*

### SOLVTIO.

Legitimum coniugium, quo duæ personæ, in vnam quasi coalescunt: sed ita tamen, vt non semper conueniant earum affectiones. Adeò vt *Matt. 14. 5.*

*Sint duo, quæ duo sunt; & sint duo, quæ duo non sunt.*

## CCCL.

*At quidnam animas ita iungit, vt ex duabus fiat vna, cùm id non possit in corporibus?*

### SOLVTIO.

Christianus amor & Fraterna caritas, quo tanquam glutino coniungũtur eorum etiam hominum animæ, quorum tamen corpora longo locorum distant interuallo. Nam,

*Anima non est vbi animat, sed vbi amat.*

## CCCLI.

*Quî poteſt quiſquam fur appellari, ſi violenter, craſsè, & apertè nunquam ſit furatus?*

SOLVTIO.

Præter rapàces illas Harpyias, q̃ patibulo áffigũtur, fures ẽt dici poſſunt:

1. Qui deſiderio & affectu, non ipſo verò actu, ſeu effectu facto aliéna rapuérunt.
2. Quidam Iuriſperiti, atq; procuratores, (de injuſtis mihi hîc eſt ſermo:) qui præuaricatores reuerâ dici poſſunt. Nam jus interdum ei ſurripiunt, cui id debebatur, vel rẽ procraſtinando abſque neceſſitate, pecuniam aliis fraudulenter extorquent.
3. Mercatores { Tùm vendentes: ſiquidẽ vtantur iniquo pondere, vlnâ vel menſura &c. Tùm Ementes, ſiquidẽ in ſoluendo vendentem circumueniant.
4. Fœneratores, qui dum corrodũt alios, diuitias corradunt.
5. Qui non honeſto aliquo negotio; ſed inhoneſto viuunt in otio: illis, cùm ex labore aliorum

vitam

vitam suam sustentent, furis quoq; nomen assignari potest.

CCCLII.

*Qui fieri potest, vt quis in suis ipsius bonis, furtum quoddam committat?*

SOLVTIO.

Vnusquisq; bonorum suorum tantùm est dispensator. Quod si quis igitur Oeconomiam non rectè administret, iuxtà diuinam nimirum voluntatem, is furti reus constituitur, propter abusum bonorum diuinorum.

CCCLIII.

*Quî potest quis bonorum eorundem, & possessor legitimus, & tantùm esse dispensator?*

SOLVTIO.

Homines in foro † ciuili opûm videntur esse possessores: cùm tamen in foro conscientiæ, Dei respectu scilicet tantùm sint œconomi. Is enim Deus tanquam principalis & supremus omnium rerum Dominus, portionem certam vnicuique, (addito, de reddendâ ratione, mandato) assignauit.

† *forum.* POLITIÆ. *forum* POLI.

CCCLIV.

*Quî potest quisquam veritatem loqui, idque cum peccato?*

SOLV-

SOLVTIO.

1. Quiſquis ex mala intentione, atque affectu prauo, ad finem noxium veritatem loquitur: ille peccatum mendacio grauius videtur perpetrare. Cuius rei illuſtre extat exemplum de Doëg. vide *Pſalm*. 52. 1. 2. 3.

2. Miniſtri peccant & mentiuntur, ſi vera quidem populo proponant: ad ea verò vitam moresq; non componant.

CCCLV.

*Quî fieri poteſt, vt quis maiori damno proximum afficiat, mendacium quoddam de illo* proferendo, *quàm omnes opes & diuitias ab eo* auferendo?

SOLVTIO.

Calumniatores, & obtrectatores, dum proximi ſui exiſtimationi, mentiendo detrahunt, imò publicæ ipſum ignominiæ atque infamiæ exponunt: peccatum committunt furto tantò grauius, quantò nomen honeſtum auro eſt excellentius. Quis enim adeò demens eſt, quin bonis ſuis ſpoliari malit: quàm notâ ſignari infamiæ ſempiternâ? (*Prouerb*. 22. 1.)

*Omnia ſi perdas famam ſeruare memento. Quâ ſemel amiſſa poſteà nullus erit.*

CCCLVI.

*Quî poteſt quiſquam abſque peccato quid.*

*quidquam concupiscere?*

SOLVTIO.

Si quis laudabili appetitu, & pio illo desiderio, donorum spiritualium & diuitiarum cœlestium teneatur.

CCCLVII.

*Quî fieri potest, vt quis illicito & vitioso in proprijs bonis ardeat desiderio?*

SOLVTIO.

Quisquis in collectis opibus solùm se oblectat; in iisdemque salutis proram, puppimque (quod aiunt,) collocat: Eiusmodi homo, cùm Nummos habeat loco Numinis, plura semper appetit, crescit enim amor nummi quãtum ipsa pecunia crescit; estque inter opes mendicus opûm: † vt inquit Seneca: *Et congesto pauper in auro.* Qui certè appetitus, vt illegitimus, ita ingenti cum periculo semper est coniunctus, quandoquidem hominem mouet & instigat, vt quibuscunq; possit modis, per fas atque nefas; violenter, fraudulenter; imò cum vitæ nonnunquam discrimine opes accumulare tentet. Adeò, vt quis cum Poëta iure possit exclamare

——— *Quid non mortalia pectora cogis*
*Auri sacra fames?*

## CCCLVIII. CCCLIX.

*Quæ illa res est, quæ diuitem pauperrimum reddit, nec quidquam ei adimit: & egenum ditissimum facit, nec ei quidquam tribuit?*

SOLVTIO VTRIVSQVE.

I. Auari, qui nihil SAPIVNT præter diuitias, easque solas CAPIVNT, imò RAPIVNT: hi, inquam, tametsi abundent opibus, per auaritiam pauperrimi redduntur.

Cùm è contrario αὐτάρκεια μετ' εὐσεβείας, (vt inquit Apostolus,) egenos
1. Tim. 6. quosque reddat ditissimos.

*Si bone Christe, habeo te; habeo omnia: si omnia præter*
*Te, bone Christe, habeo; nil, bone Christe, habeo.*

## CCCLX.

*Quî potest quis eodem tempore, tùm diuitiis affluere, tùm premi paupertate?*

SOLVTIO.

Fideles, quanquam extremâ omnium rerum inopiâ vrgeantur: nihilominus tamen sunt hæredes mundi, atque in Christo cuncta possident.

Quis-

*Quisquis habet Christum, tenet omnia: nil sine Christo*
*Prosunt, quas totus possidet orbis opes.*

Hieronymus:

*Affatim diues qui cum Christo pauper est.* Nam:

*Christi iugo subiecti cùm sint, Subiecta sibi habent cætera.*

Itaque:

*Cedant regna pio, vastiq; opulentia mundi,*
*Vno qui in Christo cuncta beatus habet.*

CCCLXI.

*Quænam diuitiæ atque opes planè sunt inexhaustæ?*

SOLVTIO.

Dona spiritualia & bona corporalia, ..rgiendo alijs acquiruntur, imperti..ndo colliguntur, & dissipando adau..entur. Habētibus enim, inquit Chri..tus, dabitur, & cum benignitate vten..ib⁹, illud quod habēt, accumulabitur.

CCCLXII.

*..um absq; desiderijs vel viuere, vel benè viuere nequeamus, cur illa igitur à Deo prohibentur?*

SOLVTIO.

Omnis carnalis, originalis, & actua..s concupiscentia, quæ ad res malas

se-

ſe extendit, à Deo nobis interdicitur. Eſt autem inſuper, tùm naturalis quidam, tùm ſpiritualis appetitus. Ille cuicunque homini à naturâ inſitus: hic regeneratis à Deo implantatus. Ille ad vitam terrenam ſuſtentandam: iſte ad vitam cœleſtem conſequendam, omninò neceſſarius.

## CCCLXIII.

*Quinam eſt ille dolor, luctus, ſeu triſtitia, quæ ad lætitiam & ad gaudium quædam eſt quaſi via?*

### SOLVTIO.

Eſt quidam ſecundum Deum mœror & triſtitia, quam ſemper finis lætus & proſper comitatur. Cùm homo ſcilicet vel ſeriò dolet, propter commiſſa aduerſus Deum ſcelera: vel compaſſionis affectu ductus, aliorũ hominum iniquitates, & afflictiones deplorat. Iſti cũ ſerant lachrymas, dolore ACRITER puncti: ALACRITER tandem gaudium, lætitiamque metent.

## CCCLXIV.

*Qui fieri poteſt, vt gratia ſit bonorum mater operum: cùm bona opera gratiæ ſint contraria?*

### SOLVTIO.

Bonorum tantùm operum meritum, hoc eſt, illa erronea, de opere operato,

(vt vocant,) doctrina, illa inquam, gratiæ repugnat. Si enim Salus & electio præmium est gratuitum: debita bonorum operum merces esse non potest. Est autem gratia propterea bonorum operum mater, quod absque gratię adiumento, nullum opus bonum committere valeamus. Rom. 11. 5. 6.

CCCLXV.

*Cùm mors tàm temporalis quàm æterna, malorum operum sit stipendium: quî sit quod vicissim vita, bonorum operum non sit merces?*

SOLVTIO.

Cùm mala nobis opera sint possessione propria, & gradum mali attingant perfectissimum, propterea per iustitiam legis, (quæ omne vitium detestatur,) mortem ceu justum stipendium deseruiunt. Cùm verò bona nostra opera, (1.) nobis non inhæreant; verùm à Deo [illegible] quasi dentur, (2.) ceu debitum [illegible]ddam ipsi persoluendum, & denique cùm sint (3.) imperfecta, & veniâ opus habeant, propterea vitam non possunt promereri. Rom. 6. 25. Rom. 8. 18.

Nam operis promerentis tres esse debent conditiones, quibus nostra opera destituuntur. Vt sc. sit 1. Non debitum. 2. Proprium. 3. Pretium mer-

cedis adæquans, vt mereatur opus triplex &c.

CCCLXVI.

*Quid immortale simul, & mortuum esse potest?*

SOLVTIO.

Eph. 2. 2. 1. Δεικας δυ- μες, σῶμα σῆμα anima. Ambros.

Anima hominis non regenerati, cũ habeat Dei decreto, naturam immortalem: propterea tamen mortua dici potest, quod vitiis terrenis atque impuro corpori ita sit inclusa, vt gratiæ cœlestis auram spirare non possit.

CCCLXVII.

*Qui fieri potest vt quis sit caro de alterius carne: at alter verò de huius carne caro non sit?*

SOLVTIO.

Cùm Iesus Christus Dei filius, humanam carnem assumpserit, siue naturam omnibus COMMVNEM: Multi nihilominus reperiuntur quibus cum Christo nulla est COMMVNIO. Ille quidem, Christus, caro est de horum carne, & os de horum ossibus, hi autem caro de carne Christi vicissim non sunt. Ille quidem cum his vnus est per naturæ communionem: Hi verò non sunt vnum cum ipso, per communionem gratiæ.

Qui

## CCCLXVIII.

*Qui fieri potest, vt quis corpus pariter atque animam habens, totus tamen, quantus est, caro sit, atque corpus?*

SOLVTIO.

Homo nondũ regeneratus, ex corpore & animâ consistit, si quà substantiam consideretur. Quod si verò perpendantur ipsius qualitates, tùm nihil in eo deprehenditur, præter corruptã carnis seu corporis massam, multisque vitiis inquinatam.

## CCCLXIX.

*Quibusnam Creaturis, quanquam mortuis, magna quædam inest feritas?*

SOLVTIO.

Homines nondum renouati, adeoque, quà animam in peccatis mortui, moribus sunt tàm asperis tàmque truculentis, vt feris propterea bestiis iure assimilentur.

## CCCLXX.

*Quî potest perire palmes, & viti tamen adhærere?*

SOLVTIO.

Christ⁹ est vera illa vitis, Christiani verò ipsius palmites, quorũ alii Christo p viuam fidẽ insiti, magnâ cum copiâ

fructus proferunt: alii vero ei per pro-
*Ioh. 15. 2.* fessionem tantùm, aut sacramentaliter adhęrentes, propterea quod sint infœcundi, â Deo amputantur.

CCCLXXI.

*Quî fieri potest vt res nunquam mortua, verè reuiuiscat?*

SOLVTIO.

Peccatum in homine naturali, quando per legem irritatur, quodammodo
*Rom. 7. 9.* reuiuiscit. Non quasi fuerit reipsa prius mortuum: sed quod peccati stimulus conscientiam anteà non vexârit.

CCCLXXII.

*Quî potest quisquam eodem momento, mortuus esse, mori, ac viuere?*

SOLVTIO.

*|Is cuius σῶμα id est corpus est anima σῆμα id est sepulchrum.* verba Ambrosii.

Is qui carnem suam ceu tumulum circumfert, † cui infelicem infoditanimam, is inquam qui ita mortuus in peccatis, hâc fruitur naturali & temporali vitâ, potest eodem mori tempore, quo in peccatis quidem est mortuus, in corpore verò viuit. Cùm enim animæ suæ mortem cognoscit, suamq; ipsius damnationem, per legem reue-
*Rom. 7. 10.* latam, diu multumque secum agitat: tùm æternam mortem quodam modo præ-

prægustat, & quendam quasi illius sensum percipit.

CCCLXXIII.

*Quî fieri potest vt vitam sempiternam is non consequatur, qui est ablutus, & sanctificatus, imò qui Christum manducauit?*

SOLVTIO.

Potest quis sacramentaliter ablui, potest generaliter sanctificari; potest in mysterio Christi corpus, id est illius signum manducare; potest vulgaribus instrui Spiritus Sancti donis; ita vt precetur; concionetur; &c. qui nihilominus, (si sit fallax Hypocrita,) saluari non potest.

CCCLXXIV.

*Quî potest quis loquendo veritatem, magnum & impudens proferre mendacium?*

SOLVTIO.

Mendax is est Hypocrita, qui vera quidem in professione loquitur: in vitâ autem & conuersatione, ea ipsa denegat. *1. Ioh. 1. 6.*

CCCLXXV.

*Quî fieri potest, vt quisquam simul homo sit & bestia?*

SOLVTIO.

1. Herodes cùm esset quà naturam

Matth. 7. 7. homo propter calliditatem atque astutiam, vulpes in Sacris literis legitur appellatus.

2. Cùm obstinatis & desperatis peccatoribus, humana sit substantia: illi nihilominus habére dicuntur canûm ac suûm conditionem.

CCCLXXVI. CCCLXXVII.

*Quinam vigilantes dormiunt, & Quinam vigilant dormientes?*

SOLVTIO.

1. Homo carnalis atque impius, iudicia Dei non considerat: verum dum naturaliter vigilat, securus in vtramq; aurem spiritualiter stertit.

2. Fideles autem, cum naturali opprimuntur somno, quà animam tamẽ, seu spiritum non dormiunt.

CCCLXXVIII.

*Cùm verâ nonnulli iustitiâ destituantur tàm inhærente, quà imputatâ, quo igitur sensu in Scripturâ iusti appellantur?*

SOLVTIO.

Possunt ij, quibus nulla iustitia neque inhæret per iustificationem, neq; per fidem imputatur: ij, inquam possunt, extremâ vitæ reformatæ specie, coràm hominibus iusti appárére, quos dum scriptura iustos appellat, non veram

ram illis justitiam tribuit: sed eos notat pro justis reputari. Ezech. 18. 26. Ezec. 3.

CCCLXXIX.

*Quinam oblectant semetipsos in rebus noxiis & damnosis: & ea diligunt, quæ abhorrent?*

SOLVTIO

Impiis derisoribus oblectamento est iniquitas, eâque temporis molestiā dispellandam putant. Sed hæc LÆTHALIS est LÆTITIA, atq; hâc peccantium FOELICITATE nil est INFOELICIVS. Quandoquidem illa iniquitas, eorum tandem perniciem, & destructionem causet. Deinde etiam in semetipsis ejusmodi mala approbāt, quæ cum inesse vident aliis, ea detestantur. Rom. 2. Matt. 7. 2. 3. 4. Matth. 23. 23. 24.

CCCLXXX.

*Qui potest in homine peccatum esse mortuum, vt ipse homo peccato non sit mortuus?*

SOLVTIO.

Phrasi Scripturæ vsitatâ peccatum mortuum esse dicitur, quando se non mouet, & conscientiam metu non percellit. Rom. 7. 8.

CCCLXXXI.

*Quinam panis tàm possidenti, quàm comedenti nocet?*

SOLVTIO.

Panis quem quis acquirit vel violentâ aliorum oppressione, vel deceptione fraudulentâ: is inquam panis pl⁹ OBEST, quàm PRODEST, habetque saporem in ore quidem gratum & AMATVM; in ventre autem PERAMARVM.

CCCLXXXII.

*Quodnam peccatum adeó graue est, vt ipsi Deo honorem adimat, cùm vix tamen soleat peccatum æstimari?*

SOLVTIO.

Occulta cordis incredulitas, Deum probro quodammodo afficit, dum bonitate ipsum, veritate, ac potestate spoliat. Quod cùm ita sit, hæc tamen incredulitas adeò est vulgaris, vt multis ne inter peccata quidem referenda videatur, cuius rei hæc est ratio, quod illa à communi sensu, & intellectu sit remota.

CCCLXXXIII.

*Quî potest quisquam verum Deum colens vocari idololatra?*

SOLVTIO.

1. Si cultum ejusmodi Deo exhibeat, queē ipse non p̄cepit, vt Pontificij.

2. Si

2. Si quis verum Deum extrà Christum, vel absq; Christo colat: vt Turcæ ac Iudæi.

3. Si quis execrandum Idolorum cultum, saltem inspiciat, vt mos est Neutralium, & aliorum vel CVRIOSORVM, vel OTIOSORVM hominum.

CCCLXXXIV.

*Qui potest quis mancipium simul, & esse imperator?*

SOLVTIO.

1. Mundanus princeps eodẽ tempore hominum quidem imperator: peccati verò mancipium esse potest.

2. Fideles affectibus suis, tanquam reges imperant: suo autem redemptori, Iesu Christo, seruiunt.

3. Auari diuites aliis imperant, Mãmonæ seruiunt.

Nam:

*Imperat aut seruit collecta pecunia cuiq;.* August.

*Christi iugo quicunque subiectus est: subiecta habet catera.*

CCCLXXXV.

*Quodnam est illud vitium, quod hominem Satana* simillimum *reddit, Christoq;* dissimillimum?

SOLVTIO.

INVISA Deo INVIDIA, atque elatus animus, horum inquam vitiorum DILECTIO, quædam à Christo est DEFECTIO: Quandoquidem inuidi & arrogantes homines, Satanæ redduntur quàm simillimi, qui propter intollerabilem aduersus Deum superbiam; aduersus homines autem inuidiam, cœlesti æternâque priuatus gloriâ, in tenebrarũ abyssum legitur deturbat⁹.

CCCLXXXVI.

*Quî fieri potest, vt ex eodem deriuetur fonte, aqua tùm dulcis, tùm amara, & quis ille fons?*

SOLVTIO.

*Iac.3.9.10.* Malitiosa & blasphema lingua, quæ vt conuiciis proximum incessit: Sic Deum laude prosequitur.

Nempè igitur:

*Corporis humani pars pessima: & optima lingua est.*

CCCLXXXVII.

*Cùm quis absque peccato ignorans esse possit, cur ergò ignorantia peccatum nuncupatur?*

SOLVTIO.

Earum rerum ignorantia, quarum cognitio ad salutem nobis est necessaria, ea peccatum maximũ, omniumq́; erro-

errorum quædam est quasi mater. Possumus autem illa mysteria, quæ curiosè ac temerè indagari non debent, absque peccato ignorare. *Sancta ignorantia.*

CCCLXXXVIII. CCCLXXXIX.

Qui fieri potest.
1. *Vt quis coactè peccet, nec tamē impellatur?*
2. *Vt sit ibi peccandi necessitas, vbi peccandi quadā est libertas?*

SOLVTIO.

Homines impii necessariò peccant, quoniam peccati & iniquitatis quædam sunt mancipia, quæ nihil, præter scelera, perpetrare possunt. Quod cum ita sit eorum tamen voluntas nulla re impulsa, sed liberè ad peccandum rapitur. Testimonio Christi res est clara. (*Ioh.* 8.)

CCCXC.

*Quî potest quisquam illud quod videt, non vidére.*

SOLVTIO.

Impiis hominibus istud contingit; qui veritatis cognitionem quidem ac θεωρίαν habent; ejusdem autem executionem seu praxin amplecti recusant.

CCCXCI.

*Quî potest quisquam illum ipsum, (quem profitétur) abnegare?*

SOLVTIO.

Poteſt quis vitâ & factis abnegare, illum quem verbis, ſeu linguâ profitetur.

CCCXCII.

*Cùm magna in homine eſſet iniuſtitia, ſi malo non obſtaret, cui obſtare poſſet: Quomodo igitur cum iuſtitiâ conuenit, quod peccata Deus, quanquam poſſit; non velit tamen impedire?*

SOLVTIO.

1. Quia Deus quidem liber & nullis planè aſtrictus legibus: homo autẽ Dei præceptis obligatus eſt.

2. Quia juſtitiæ pars in Deo reputatur, peccata præcedentia punire ſubſequentibus.

3. Quia bonus & vtilis finis Deo eſt propoſitus, dum peccata non impedit. Id quod multis exemplis ex Sacrâ Scripturâ hauſtis confirmari poteſt.

Lapſu videlicet Protoplaſtorum: peccato Dauidis & Salomonis; abnegatione Petri &c.

CCCXCIII.

*Qui fieri poteſt, vt ab homine prauo bona fiant opera?*

SOLV-

SOLVTIO.

Herodes ac Iudas, verâ cùm essent in Deum fide, & bonâ conscientiâ destituti: multa nihilominus commiséruut, quæ propter rei commissæ substantiam, tùm bonum etiam aliorum, bona dici meruérunt.

CCCXCIV.

*Quomodo pro fide nobis est contendendum, cùm contentionem tamen, tanquam carnis fructum Scriptura interdicat?*

SOLVTIO.

Duplex est contentio.

Sancta alia & legitima, quando cogente necessitate, ex officio nostro, ita pro timore Dei ac cultu contendimus, vt solam nominis diuini gloriã, atque Ecclesiæ emolumentum propositum nobis habeamus.

Alia, prohibita atque illegitima, eaque vel priuata, iuncta cũ ira & amaritudine; vel publica non necessaria, neque ad vtilem scopum collimans.

CCCXCV.

*Qui fieri potest, vt eandem duo dum mouent quæstionem, eorum vnus rectè illud faciat, at alter verò in eo offendat?*

SOLVTIO.

Si eorundem vnus curiositate duct' tantùm litigandi gratiâ: at alter impulsus pietatis studio, discendi causa illud faciat.

CCCXCVI.

*Quî fieri potest, vt si tres rideant propter rẽ eandem, eorum tantùm vnus peccatum non committat?*

SOLVTIO.

Si vnius quidem risus ex fide oriatur: sic risit Abrahamus, auditâ de filio nascendo promissione. Alterius verò vtriusque, vel ex dubitatione prófluat & incredulitate, vt risus Saræ, vel junctus sit cum dictis & scommatis aculeatis, vt risus Ismaëlis.

Gen. 17. 17.

Genes. 21.

CCCXCVII. CCCXCVIII.

Quî fieri potest:
- *Vt quis peccatum non committat, quanquam eiusmodi à Deo petat, quæ non vult largiri, &*
- *Vt alter quispiam, tale quid postulans, quod Deus vult largiri, peccati labe se inquinet?*

SOLVTIO.

1. Potest fili' pro vitâ patris ægrotantis preces ad Deũ fundere, nec peccare ta-

care tū, propterea quòd eam petat cum conditione diuinæ voluntatis.

2. Paulus in eo non peccauit, quòd à carnis stimulo liberari expetiuerit, quandoquidem ita illud postulauit, vt suam ipsius voluntatem diuino beneplacito humiliter submiserit.

Israëlitæ verò cibum à DEO flagitantes, quem Deus ijs non recusauerat, malè propterea commiserunt, quòd hanc eorum petitionem, quædam murmuratio ac dubitatio comitaretur.

## CCCXCIX.

*Quî potest cum immenso lucro perditio esse iuncta?*

SOLVTIO.

1. Homo auarus, dum instar sanguisugæ bona exugit aliorum, immensas quidem acquirit diuitias: miserrimam autem facit animæ suæ iacturam.

2. Impius verbi minister alios Deo lucrári potest: vt semetipsum eat perditum.

3. Multi scelerati homines fidem amittunt voluntarié, quando lucrantur occasionem.

## CCCC.

*Cùm possit sine peccato vsura exercéri, cur illa igitur peccatum nuncupatur?*

SOLV-

SOLVTIO.

Horrendum quidem est peccatum, quando quis proximum opprimit, sub æquitatis specie ac iustitiæ prætextu, quodam illicito & immoderato fœnere: Quando verò vel iis pecuniam credimus, qui capitalem nō possunt summam reddere, vel dona nostra spiritualia, ita augémus, dum aliis ea communicamus, hæc est vsura Christiana, & quæstus commendandus.

*Prouerb. 19.* Bernhard. *Luc. 6.*

CCCCI.

*Cùm soli Deo cultus conueniat, quî possumus igitur absque peccato mortales quoque reueréri.*

SOLVTIO.

Est quidam religiosus ac diuinus cultus, cuius ne minima quidem particula vlli creaturæ assignari debet. Ad cultum verò & reuerentiam Magistratibus, & omnibus nostris superioribus propterea exhibendam, quod authoritate ac donis emineant, diuino etiam mandato impellimur.

*Act. 10. 26. Matt. 10. 4. Apoc. 19. 10.*

CCCCII.

*Quo pacto euenire potest vt primus fiat vltimus, & imus fiat primus?*

SOLVTIO.

*Non aliter*

Gentes vocatæ post Iudæos, postremæ qui-

mæ quidem vocatione : primæ sunt autem acceptatione.

*quàm Petr° & Iohannes, cùm*

## CCCCIII.

*Quæ res mortalis semel, bis autem erat immortalis?*

SOLVTIO.

Corpus Adami peccati ratione mortierat obnoxium : respectu autem tùm creationis, tùm glorificationis immortale.

## CCCCIX.

*Quî fieri potest: Vt sit vna & eadem tàm ad salutem siue vitam : quàm ad mortem damnationem via: vel, vt sit vna tantùm cœlestis & infernalis regni ianua?*

SOLVTIO.

Mors naturalis quædam est quasi via, per quam ex hâc mortali vitâ vel in cœleste transeunt palatium quotquot in Domino moriuntur : vel lacum adeunt infernalem, qui in peccatis obeunt.

*Vnica cœlestes tùm dat conscēdere sedes:*
*Tùm stygias etiam via fert Acherontis ad vndas.*

## CCCCV.

*Cùm suâ Christus morte mortis imperium adeò destruxerit. Vt:*

*Amisso stimulo nomen inane gerat:*

*Cur*

Cur igitur fidelibus, imò cur
*Omnibus est tandem lex data certa, mori?*

SOLVTIO.

Ademit quidem Christus morti stimulum, adeò vt eo fideles non modò non obesse possit: sed prodesse potius. Moriuntur autem fideles

1. Vt decreto diuino satisfaciant.

2. Vt eius voluntati & ordinationi obsecundent. *plures causæ.*

3. Vt ita plenariè liberentur ab omni dolore ac molestia, in hâc enim vita quidquid sumus

--- *Ærumnæ sumus, atque labores.*

4. Vt tandem cum Christo perfectè & immediatè regnent; quod fieri non potest, nisi corpus prius per mortem resoluatur, & à peccatis absoluatur. Nam:

Ambros. *Peccatis mors sola potest imponere finem.*
*ô mors nostra ruit per te corruptio triplex.*
Originalis sc. atque actualis.

CCCCVI.

*Cùm mors sit hostis vltimus omnium postremò destruendus, quo igitur sensu de Christo dicitur quod suâ morte mortem superauerit?*

SOLVTIO.

Christus quidem suâ morte insignè à morte victoriam reportauit: verùm cùm

cùm illa ex parte tantùm fuerit, eam postremo resurrectionis die, demùm continuabit. Nam cùm anteà fideliũ ratione morti tantùm maledictionem ademerit: mortem olim ipsam, non maledictionẽ tantum ab iis amouébit.

## CCCCVII.

*Cùm multi non sunt morituri, quo igitur sensu dicitur quod Omnia sub leges mors vocet atra suas?*

SOLVTIO.

Secundum cursum naturæ ordinarium, diuino decreto moriuntur omnes: quòd verò multi die vltimo tantùm sit mutandi, istud est extraordinarium.

## CCCCVIII.

*Cùm suo Deus decreto constituerit vt homo semel moriatur, ac iudicetur posteà, quî fit quod mortuorum quidam à mortuis suscitati secundâ vice mortem oppetierint?*

SOLVTIO.

Ordinariè quidem VNA (tantùm) *omnes manet nox, & calcanda* SEMEL *via lethi*: Horat.

Quod verò quidam bis sint mortui, res fuit extraordinaria.

Qui

## CCCCIX.

*Quî fieri potest, vt vno eodemque temp. corpus tùm viuum atque incorruptum, tùm mortuum sit ac putrefactum?*

SOLVTIO.

Ambros. *Doceat nos Phœnix exemplo suo resurrectionẽ credere.*

Corpora Abrahami, Isaaci, Iacobi, & aliorum in Domino mortuorum, quanquam sint putrefacta: Nihilominus tamen sunt quasi viua in conspectu Dei, qui ea decreuit à mortuis suscitare. (*Matth.22.23.*)

## CCCCX.

*Quî potest pulueri vita inspirari?*

SOLVTIO.

*1.Cor.15.22.*

Resurrectionis die vltimo, corpora in puluerem resoluta, virtute Christi efficaci restaurabuntur, & animabus suis gloriosè coniungentur.

## CCCCXI.

*Si omnes mortales ruptâ tellure resurgent: cur illa igitur resurrectio, iustorum propria esse dicitur?*

SOLVTIO.

Cùm beneficium resurrectionis solos concernat justos, quorum corpora tunc temporis reddentur gloriosa: pro-

*Cur in Daniele dicitur, multos resurrecturos, cùm resurrectio sit vniuersalis.*

propterea illa dicitur justorum resurrectio.

CCCCXII.

*Quî possunt corpora dici spiritualia, cùm istâ tamen loquendi formulâ, manifesta contradictio committi videatur?*

SOLVTIO.

Quanquam Sanctorum corpora à resurrectione, eadem quæ prius sint permansura, substantiæ ratione: Nihilominus tamen dicuntur Spiritualia, propterea quod non sint sustentanda naturalibus mediis: sed immediatâ Spiritûs operatione præseruanda. 1. Cor. 15. 44.

CCCCXIII.

*Cùm eam Christus ob caussam non venerit, vt mundum iudicaret; quî potest igitur viuorum iudex, & mortuorum esse constitutus?*

SOLVTIO.

Venit Christus prius in infirmitate, vt ipse pro nobis iudicatus atque condemnatus, precioso suiipsius merito acquireret redemptionem.

Sed alium insuper eumque gloriosum Christi aduentum expectamus, quando videlicet orbem iudicaturus veniet & mercedem cuique assignaturus, operibus conuenientem.

Cùm

CCCCXIV.

*Cùm sit vnus tantùm mundi futurus iudex; solus videlicet Christus, Cur sancti ergò dicuntur mundum, imò & Angelos iudicaturi?*

SOLVTIO.

Solus Christus tanquam commissarius seu legatus patris, suâ commissione, atque authoritate, omnes tam homines, quàm Dæmonas, (malos illos Angelos,) coram se conuocabit: solus eos examinabit: solus sententiam irreuocabilem, iustamque pronunciabit.
1. *Cor.* 6.2.3. Dicuntur autem Sancti mundum ac Dęmonas iudicaturi, quatenus tanquá assistentes, conflato quasi conspiratoq; consensu, sententiam Christi omnes approbábunt.

CCCCXV.

*Apoc.* 20. *Si omnes huius orbis incolæ, viui iuxtà atque mortui, coràm Christo sistentur iudicandi, quo igitur sensu dicitur.* 1 *Quod*
*Psal.* 1.5. *impij in iudicio comparêre non poterunt?* 2. *Quod iustos Deus nolit iudicare?*

SOLVTIO.

Iusti non subibunt iudicium damnationis, neque iniusti absolutionis.

Pars

Pars autē vtraq; inquisitionis siue examinationis iudicio, se est submissura. Rom. 14. 2. 2. Cor. 5. 10.

CCCCXVI.

*Quæ res ardendo non consumitur, nec pereundo aboletur?*

SOLVTIO.

1. Rubus ardens (cum quâ Ecclesia Dei perpulchrè comparatur) ille, inquam, rubus ardens à Mose conspectus igni non est combustus. 2. Ita ea existet diuturnitate temporum senectus, quæ magnos quidē huius mundi motûs, mutationemque molietur: sed ita tamen, vt pulcherrimus huius mundi ornatus nō sit omninò occasurus. Nā, *Quanquam rapidis flagrabunt omnia flāmis:* (vt inquit Poëta,) cœli, terra & elementa: Eorum tamen non peribit substantia, sed quasi metallum purificabitur. Et cùm nunc omnia sint ob peccata nostra corruptioni obnoxia: in statum gloriosum atque immortalem per ignem reducentur. Rom. 8. 21.

CCCCXVII.

*Quænam est illa regio, cuius maiori quidam tenentur desiderio, quàm natalis soli?*

SOLVTIO.

Fideles potius transponi expetunt in cœlestem patriam, quàm in natali solo

ſolo diutius commorari. Ad illam ſolam dum hic SPIRANT, SPE & SVSPIRIIS perpetuò ADSPIRANT. Adeò vt illud Ouidii de noſtrâ in his terris patriâ pronunciatum iure hîc locum habeat.

*Neſcio quâ cæleſte ſolum dulcedine Sanctos*
*Afficit: immemores nec ſinit eſſe ſui.*

CCCCXVIII.

*Quæ regio ignorat noctem?*

SOLVTIO.

Eadem cœleſtis regio, in quâ caligo planè nulla eſt: ſed lux æterna, & glorioſa.

CCCCXIX.

*At quænam regio diem neſcit?*

SOLVTIO.

Infernalis regio, in quâ nullum omninò lumen; ſed eſt perpetua tenebrarum continuatio.

CCCCXX. CCCCXXI.

Quî fieri poteſt.
1. *Vt quis in morte ſempiterna viuat?*
2. *Vt quis ſit in inferno, quanquam nõ condemnatus?*

SOLVTIO VTRIVSQVE.

1. Tàm eſt miſerabilis damnatorum condi-

conditio, vt illa mors viuens, & vita moriens dici possit.

2. Potest quis esse in conscientiæ inferno, qui tamen in damnatorum locum non sit peruenturus.

## CCCCXXII.

*Quanam Creatura ratione prædita corpus habet non animam?*

### SOLVTIO.

Angeli, qui *cùm sint volucres sine corpore mentes:* Deo tamen imperante corpora assumunt. Vnde autem existant illa corpora, & in quid resoluantur, incertum est nec nobis reuelatum.

## CCCCXXIII.

*Quorumnam hominum vita fœlix & miserabilis, tùm grauis est, tùm suauis?*

### SOLVTIO.

Verorum Christianorum, quorum vita beata est ac dulcis,

Tùm propter spei conceptæ validitatem;

Tùm propter rei accipiendę, (cœlestis gloriæ) certitudinem.

Misera verò & acerba.

Quatenus non tantùm in mundo affliguntur: Sed quatenus et- iam

*βίος Christianorũ est, βία.* i.e. *vis & afflictio.*

iam cum hostibus spiritualibus, Satanâ peccato &c. confligere coguntur.

CCCCXXIV.

*An potest eiusmodi reperiri anima, quæ nunquam fuerit vlli iuncta corpori?*

SOLVTIO.

1. Deus propterea mundi est anima, quod quemadmodum corpus per animam, ita diuino nutu, & arbitrio omnia regantur atque gubernentur.

2. Fides instar animæ animam nostram animat, vt viuat Deo.

3. Christus est legalium Ceremoniarum anima. In eo enim substantia ac veritas.

CCCCXXV.

*Quodnam est illud donum gratiosum, quod is qui tenet, semper retinet, quanquam externè ab eo adimatur?*

SOLVTIO.

IMMANET electis vera ac viua fides, vsque dum ijs mors IMMINET, per quam finem suum, rem nimirum creditam fides adipiscitur. In hâc verò vitâ nunquam amittitur fides, tùm propter
*Ioh. 17.* valorem precûm à Christo conceptarum: tùm propter fœderis diuini sta-
*Ierem. 32.* bilitatem.

Qui

CCCCXXVI.

*Quî fieri poteſt, vt donum aliquod, quo nunc Deo viuimus, tùm ſit deſiturum, cùm viuemus?*

SOLVTIO.

Fide nunc quidem DEO viuimus: quando veró in cœlum tranſpoſiti, rẽ creditam aſſecuti erimus, tùm nullus erit amplius noſtræ fidei vſus. *Rom. 1.17. Galat. 2. ℣. vltimo.*

CCCCXXVII.

*Ecquiſnam abſque cibis lautum conuiuium poteſt apparáre?*

SOLVTIO.

Chriſtus cum animâ fideli cœnat, abſque terrénis deliciis.

CCCCXXVIII.

*Quis ignis ſemel accenſus nunquam deletur vel extinguitur?*

SOLVTIO.

1. Ignis contentionis inter ſerpentis ac mulieris ſemen, cuius perpetua eſt futura continuatio.

2. Ignis vindictæ diuinæ in inferno qui ardebit Nullo delebilis æuo.

CCCCXXIX.

*Cùm omnis Dei in terris creatura, corruptioni ſit obnoxia: quî fit quod ſolus ver-*

*mis nunquam dicatur moriturus?*

SOLVTIO.

Per vermem denotatur horror conſcientiæ, dolorumque grauitas, ac miſera damnatorum carnificina.

CCCCXXX.

*Quî poſſumus nosmetipſos abſque peccato committendo ad huius mundi mores componere, cùm illud seriò nobis ſit interdictum?*

SOLVTIO.

Qui mundo impiorũ eſſe vult conformis, is in conſpectu Dei deformis ſit oportet: eſt autem magna quædam virtus, ſi quis fidelium mundum ſequatur, bonorumque hominum, (quàtum poſſit,) veſtigiis inſiſtat.

CCCCXXXI.

*Quî poſſumus mentem duplicem, et vnam tantùm poſſidére animam?*

SOLVTIO.

Homo regeneratus, vnâ tantummodò animâ præditus: in ſtatu corruptionis mentem habet deprauatam: in ſtatu gratiæ mentem renouatam.

CCCCXXXII.

*Quî fieri poteſt vt iÿ qui ſunt adoptati, adoptionis tamen teneantur desiderio?*

SOLV-

SOLVTIO.

Electi in his terris cùm iam ſint adoptati, pleno nihilominus frui expetunt adoptionis fructu, cœleſti ſcilicet hæreditate.

CCCCXXXIII.

*Cùm ſola fide ſalutem conſequamur, & cùm iſta fides oriatur ex auditu: quî fieri poteſt igitur, vt ſurdi quoque ac muti homines ad ſalutem perueniant?*

SOLVTIO.

1. Infantes, & Idiotæ, muti ac ſurdi, cùm ſub diuino comprehendantur fœdere, (ſiquidem parentes fideles habeant:) cùmque ſigillorum illius fœderis participes reddantur, propterea ex affectu charitatis, optimum de iis ſperare conuenit.

2. Tametſi auditu verbi prædicati, & ordinariis fidei operandæ deſtituantur mediis: Nihilominus tamen quoniam illud accidit, ſiue annorum ſeu ſenſuum defectu; propterea Deo, (cùm nullis ſit aſtrictus mediis) nequaquam eſt difficile immediatè iis quos elegit fidem inſpirare. Et certè quod infantes etiam fide ſint inſtructi, proptereà nobis certum eſſe debet, quod iis in Scripturâ Sacrâ tribuatur inuo-

Rom. 10. 14. catio. (*Psalm.* 8.) quomodo autem inuocabunt, (inquit Apostolus) in quem non crediderunt?

CCCCXXXIV.

*Cùm ÿs qui quærunt, inuenire: & ÿs, qui pulsant, dicatur aperiri: Quî ergò fieri potest, vt ÿs Deus aperiat, qui tamen non pulsant; ÿs appareat, qui non quærunt?*

SOLVTIO.

Electi ante conuersionem Deum reperiunt, nõ quærentes; sed à Deo quæsiti: quemadmodum hoc duobus parabolis ita firmiter stabiliri potest, vt nullâ queat conuelli ratione, alterâ nimirum ouis perditæ, quam pastor inuestigat: alterâ patrisfamiliâs, operarios inquirentis, quos in vineam mittat. Deus autem electos iam ad se conuersos ad quærendum mouet, atq; impellit ad pulsandum, & semetipsum quærentibus & pulsantibus magis magisq; manifestat. Vera est igitur Augustini, & illustris sententia: *Deus ad pulsandum excitat, & pulsanti aperit.*

Luc. 15.
Matth. 20.

Item: *Da quod iubes. Iube quod vis.*

CCCCXXXV.

*Cùm Creatura Dei & omnia eius opera sint vsq; adeò bona, vt meliora esse nequeant: qui potest igitur ipse homo, ac hominis vestes impura reddi?*

SOLV-

SOLVTIO.

1. Ceremonialiter, contactu mortui, aut leprosi.

2. Homo quanquam bonus, quatenus Creatura, peccati tamen contagione potest inquinari.

CCCCXXXVI.

*An iusta esse potest illa Dei pœna, quâ infantes afficit vnà cum parentibus?*

SOLVTIO.

Imò verò. Etenim infantes, licet nō commiserint, (sicut parentes.) peccata actualia: idem tamen habent originale vitium à parentibus nimirum ad ipsos deriuatum, ex quâ naturæ corruptione iidem praui fructûs suo tempore erumperent. Quare vt homines vulpeculos destruunt, aut, quos inueniunt lupi catulos propter naturam eorum pestilentem: Sic Deus cum parentibus liberos iustè propterea punit; quod eos sciat, propter naturæ contagionem, vestigia olim parentûm secuturos.

CCCCXXXVII.

*Cùm fuerit egregia ac Regia Salomonis sapientia, quî fit quod solus Christus dicatur esse sapiens?*

SOLVTIO.

1. Quia Christi ſapientia, ipſi eſſentialiter, & propriè inhæret: hominibus autem participatiuè.

2. Quia illa eſt perfecta, & omnibus abſoluta gradibus: hæc noſtra partialis.

3. Quia ab illâ Christi ſapientia, humana deriuatur.

CCCCXXXVIII.

*Si plura Deus, quàm habet, non recipit: an homo igitur non inſipit, gloriam Deo laudemq́; tribuendo?*

SOLVTIO.

Nequáquam. Etenim dum laudes Deo attribuimus, non eius gloriç quid addi arbitramur, quam abſolutam eſſe nouimus: ſed illud intendimus, vt alios quoque ad ſimilem nominis diuini celebrationem noſtro exemplo inſtigemus.

CCCCXXXIX.

*Qui poſſunt iſta conciliari: quod Paulus quidem inficietur, ſe aliorum fundamento ſuperædificaſſe: Christus verò Apoſtolos in aliorum labores eſſe ingreſſos aſſeuerat?*

*Ioh. 17.*

SOLVTIO.

Christus de Prophetis eorundemque

que laboribus loquitur, quos in erudiendâ Ecclesiâ Iudaicâ insumpsérunt. Paulus verò iure gloriari potuit, se super nullius fundamentum extruxisse, propterea quod gentibus, (quibus ad illud vsque tempus Christus erat incognitus,) prædicârit. Rom. 15.

CCCCXL.

*Cùm qui placére hominibus cupit, Christi seruus esse nequeat: quo igitur pacto ad id astricti sumus; vt proximo nostro placére studeamus?*

SOLVTIO.

Impiis & desperatis peccatoribus nemo ita placeat, vt honestas interim ac religio contempta iaceat. Det autem quisque operam, vt placeat infirmo proximo in iis quæ conducunt; eumque ad Christum hâc ratione magis magisque adducat. Rom. 15.1.2.

CCCCXLI.

*Cùm Euangelium non fuerit vbique prædicatum, cur ergo dicitur vox Apostolorum in vniuersum exiuisse orbem?*

SOLVTIO.

Peruenit quidem Euangelium ad omnia mundi loca: verùm non semper locum adinuenit. Neque enim dubium est, quin Apostoli commissionem Matth. 28

Rom. 15. 19. Col.1.6.& 23. Rom.11. Christi fideliter exequentes, tanquam Angeli, & legati Christi omnes orbis angulos peragrarint. Id quod de iis capi debet regionibus, quæ erant eo tempore cognitæ, quæque non erant aquarum exundatione submersæ ac subuersæ.

CCCCXLII.

*Cùm pueri quoque dierum numerum possint computare: quî fit quod regius Propheta Dauid illud à Deo docéri expetat?*

SOLVTIO.

Aliud est Arithmeticè dierum numerum, atque annorum suorum obseruare summam: Aliud Theologicè ac Christianè dies suos numerare. Nã si quem Deus istud DOCET, eundem quoque vlterius DVCIT, ad vitæ scilicet humanæ PRAVITATEM, BREVITATEM que considerandam.

CCCCXLIII.

*Quî potest quis esse diues, non diues, maritus, non maritus, mundo vtens & non vtens?*

SOLVTIO.

Istud fit per mortificationem carnis, & mundi contemptionem.

CCCCXLIV.

*Quî potest vna & eadem persona esse alte-*

*rius*

*rius alicuius, tùm filius tùm seruus?*

SOLVTIO.

Fidelis homo est seruus Dei, quatenus DEVS est Dominus: est filius DEI, quatenus Pater.

CCCCXLV.

*Quænam est illa quæso scala, quæ ab his terris ad cœlum pertingit?*

SOLVTIO.

Iesus Christus.

1. Quia cœlum tangit quatenus Deus: at quatenus, homo, terrã. *Ioh.1. ℣. vltimo.*
2. Quia Christus quatenus mediator cum terrâ cœlum: & Deum cum hominibus reconciliauit. *Eph.2.*
3. Quia ipse solus is est, per quem nobis ex hâc terrâ patet in regnum cœlorum aditus. Ipse igitur scala cœli, via est ac vita.

CCCCXLVI.

*Qui fieri potest, vt Creaturæ in scalâ eiusmodi adscendant, & descendant, quæ nullos habet gradus scansiles?*

SOLVTIO.

Angeli nobilissimæ Creaturæ, ad Christi capitis mandata exequenda

 super

ſuper filium hominis deſcendunt & adſcendunt, qui eſt ſcala myſtica & immaterialis.

CCCCXLVII.

*Cùm in cœlo Deus dicatur commorari: cœlum autem ſit Creatura: vbinam igitur habitabat Deus, priuſquam cœlum conderetur?*

SOLVTIO.

Quanquam temerariè iſtud inquiratur, nihilominus tamen, vt curioſorum hominum ora compeſcamus, cum Auguſtino reſpondere poſſumus, Deũ in ſe, & apud ſe habitaſſe. Deus non eſt beatior propter cœlos conditos, ſed Angeli & electi homines propter eà ſunt feliciores, quod iis liceat Creatoris gloriam & maieſtatem infinitam illîc locorum intuéri.

CCCCXLVIII.

*Cùm Christus omnia à Deo poſtulanda complexus fuerit breui precatiunculâ, cur Sacræ igitur teſtantur literæ, nos illa neſcire quæ petere debeamus?*

SOLVTIO.

Præſcripſit quidem nobis Chriſtus certam orandi formulam, eamque exactiſſimam, ſapientiſſimam, rotundiſſimam, ex quâ materiam cognoſcimus

rerum

rerum petendarum. Rectum autem postulandi modum nos docet Spiritus Sanctus, qui nostro animo in angustiis perplexo, res eiusmodi suggerit, quæ nosmetipsi ignoramus. Rom. 8.

CCCCXLIX.

*Quî possunt impii Deum cognoscere, cùm id scriptura inficietur?*

SOLVTIO.

1. Generali per Creationem: non speciali per fidem cognitione.
2. Quatenus Deum: non quatenus saluatorem.
3. Historicè: non effectualiter ad salutem.

*Cognoscitur n. Deus ex operibus: Ro. 1. Mundus, liber est, cuius tria folia cœlum, terra, mare.*

CCCCL.

*Cùm Spiritus gemitibus pro nobis intercedat, quî fieri potest, vt solus Christus noster sit intercessor?*

SOLVTIO.

Est duplex intercessionis modus: Alter fit à Christo, per mortis ipsius meritum: alter à Spiritu, per quandam rerum petendarum internam suggestionem. Rom. 8.

CCCCLI.

*Cùm Christus sit supremus rerum moderator,*

*rator, quî fit quod serui nomen ipsi tribuatur?*

SOLVTIO.

Christus seruus dicitur patris ratione, qui eum in hunc mundum misit, adiuncto mandato de erudiendâ Ecclesiâ, eâque eruendâ ex Satanæ potestate.

Es. 53

Est autem Dominus
1. *Quia sibi Ecclesiam clementer* LEGIT.
2. *Quia collectam suo spiritu potenter* REGIT.
3. *Quia eam* TEGIT, *longosq; propagat in annos.*

CCCCLII.

*Tritum sermone est prouerbium*

Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum.

*Videtur id in Paulum conuenire, qui cùm iuramento alicui interdixerit: iurare tamen nequáquam dubitauit.*

SOLVTIO.

Legitimus religiosi iuramenti vsus nequáquam est prohibitus: quale fuit Pauli iuramentum, qui consideratè, in re magni ponderis, per solum Dei iurauit nomẽ: Temeraria verò iuramẽta,

Matth. 5.

quæ

quæ fiunt per Creaturas, in Sacris literis leguntur interdicta.

## CCCCLIII.

*Quî potest de illo dici, qui semper est nobiscum, quod ad nos reuertatur?*

### SOLVTIO.

Deus præsentiâ suâ generali, per essentiam suam ac potentiam semper nobis adest: Gratiâ autem ac beneficiis interdum nobis abest, ac propterea reuerti dici potest.

## CCCCLIV.

*Quî potest verè de Deo dici, quod quidquam diu differat, cùm omnia tamen exequatur tempore opportuno?*

### SOLVTIO.

Respectu nostri Deus diu rem procrastinat.

1. Quia nos de Deo humano more iudicamus.
2. Quia se DEVS non nostræ voluntati: sed opportuno tempori accommodat.

## CCCCLV.

*Cùm Christus ex Iosepho procreatus non fue-*

*fuerit: quî poteſt igitur Dauidis eſſe ſemen?*

SOLVTIO.

Chriſtus eſt verum ſemen Dauidicum, propterea quod fuerit mater Christi ex Genealogiâ Dauidis oriunda.

Rom. 1. 5.

CCCCLVI.

*Cùm Deitas Chriſti non reſurrexerit: ſed ipſius humanitas, cur ergò dicitur per reſurrectionem Deus declaratus?*

SOLVTIO.

Quia Chriſti reſurrectio, quam ſola eius cauſauit potentia, efficax quoddam erat Deitatis argumentum.

CCCCLVII.

*Si hominum nemo reperiri poſſit, qui non ſit mendax: quî fit quod Apoſtoli ſuis in ſcriptis non ſint mentiti?*

SOLVTIO.

Quanquam omnes homines, atque adeò Apoſtoli mendaces naturaliter fuerint, nequáquam tamen exinde poteſt colligi, eos in illis eſſe mentitos, quæ literarum monumentis conſignârunt.

runt. Fuerunt enim illa θεόπνευστα.

## CCCCLVIII.

*Cùm legis diuinæ executores per legem iustificentur: quî fit quod contendat Paulus, neminem per legem coràm Deo pro iusto reputari?*

### SOLVTIO.

Omnia legis mandata, ad vnguem perfectissimè præstita, possunt hominem iustum reddere. Sed quoniam il- *Rom.* 8, 3.
lud nemo potest: propterea nemo per legem iustificatur.

## CCCCLIX.

*Quî possunt ista conuenire, quòd Abrahamo quidem dicatur fides, Phineæ verò bonum opus, ad iustitiam imputatum?*

### SOLVTIO.

Hæc optimè conueniunt, si per iustitiam Abrahami peccatorum remissionem, & imputationem iustitiæ Christi; per Phineæ verò iustitiam actum iustum intelligamus. Iustificant enim opera non effectiuè: sed declaratiuè.

## CCCCLX.

*Cùm condemnatio per Adamum ad omnes pertinuerit: cur omnibus igitur non contingit,*

*git, quæ fit per Christum iustificatio?*

SOLVTIO.

Quoniam non omnes Christo sunt insiti, per veram ac viuam fidem; quemadmodum omnes Adamo erant, per creationem quasi implantati.

Rom. 5.

CCCCLXI.

*Cùm Deus omnium rerum fuerit, & hominum possessor, quî fit quod homines dicatur redemisse?*

SOLVTIO.

Quoniam propter peccata nostra iusto Dei iudicio ipsa eramus Satanæ mancipia: propterea necesse erat nos à Christo redimi.

CCCCLXII.

*Cùm sit Baptismus resipiscentiæ, & mortificationis Sacramentum: quî fit quod infantes, qui resipiscentiam nullam possunt agere, baptismi fonte abluantur?*

SOLVTIO.

Baptismus, cùm sit sigillum diuini fœderis; cùmq; illud fœdus ad infantes quoque spectet: propterea etiam infantibus conferri debet. Nam quanquam resipiscentiam nondum possunt agere:

agere: in ijs tamen per baptiſmum reſipiſcentia obſignatur.

CCCCLXIII.

*Cùm omnes homines moriantur, quî fit quod quidam à Deo condemnentur: Teſtis eſt enim Apoſtolus, eos qui ſunt mortui immunes eſſe à peccato, vbi autem peccatum non eſt, ibi nec eſſe poteſt vlla condemnatio?*

SOLVTIO.

Apoſtolus de ijs loquitur, non qui ciuiliter: ſed qui ſpiritualiter ſunt peccatis mortui, ita vt peccatum illis non amplius dominetur.

FINIS.

FRANCOFVRTI



Sumptibus Hulsianis, Typis Hartmanni Palchenij,

ANNO MDCXXV.